6
15-b
13

6
10 E
54

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

6-15-b-13
15-a-5

15.7.8
15
a
8

Digitized by Google

DISSERTATIONES
HOMERICAE

HABITAE IN FLORENTINO LYCEO

AB ANGELO MARIA RICCIO

GRAECARUM LITERARUM PROF.

QUIBUS

ACCEDUNT EIUSDEM ORATIONES

PRO SOLENNI INSTAURATIONE STUDIORUM

VOLUMEN PRIMUM.



FLORENTIAE . MDCCXL.

Ex Typographia Caietani Albizinii.

Praeſidum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

AMPLISSIMO AC NOBILISSIMO VIRO

IOANNI FRANCISCO STOPPANIO

ARCHIEPISCOPO CORINTHIO

ET AD SERENISSIMAM VENETORUM REMP.

PONTIFICIO LEGATO.

ANGELUS MARIA RICCIUS F.

MUlta ſunt, Vir Optime, ac Praeclariſſime, quae omnem mihi dubitationem ſtatim exemerunt, cui potiſſimum hoc meum Homericarum Diſſertationum primum Volumen conſecrarem. Cui enim potius, quam Tibi? Tibi inquam,

Digitized by Google

quam, qui in Literarum ſtudia tam vehementer, intimeque affectus es, ut tuas delicias, tuos amores facias, iiſque longe magis, quam reliquo vitae ornatu, atque apparatu oblecteris. In Te ſiquidem (ut de M. Catone teſtatum reliquit Tullius) inexhauſta aviditas legendi. Poëtas vero maximos tanto in pretio habes, tam ſaepe, ac inceſſanter verſas, ut paene innumera ex eis loca memoria retineas, gratoque lepore, ſale, ac promptitudine (quod non ex aliis narrantibus accepi, ſed ipſemet ſaepiſſime audivi) ubi res & tempus poſtulat, in eruditorum hominum colloquio pronuncies; praeſertim vero Virgilium amas, Horatium, & Dantem, qui doctrinae profunditate, & dictionis robore, atque elegantia adeo ſupra ceteros eminent. Qui amor in literas facit, ut literatos quoque viros impenſe diligas, eoſque omni benevolentiae officio humaniſſime complectaris. Sed illud praecipue in te ſpectandum occurrit, quod literis tum ſacris, tum profanis, quas eximie tibi comparaſti, non ad inanem quamdam oſtentationem uteris, ſed ad

for-

formandum animum, ac moderandum, Chriſtianaſque Virtutes omnes inſigniter excolendas. Quid de Generis ſplendore, & commiſſorum tibi Munerum amplitudine? Nonne ab omni faſtu, animique elatione alieniſſimus, occaſionem nullo non tempore inde arripis, ut magis magiſque agnoſcant omnes ſentiantque comitatem tuam, ac benignitatem ſingularem? Haec profecto ſufficerent, Praeſul Ampliſſime, ut continuo ad Te debuerim convolare, tuumque huic meo Operi patrocinium exoptare, implorare, aſſequi. Nihilominus alius adhuc ſtimulus multo acrior me exacuit, ac fere coëgit, ut in ſinum tuum me, Librumque meum conferrem. Cum enim nuper in hac Urbe apud Magnum, Regiumque Etruriae Ducem Pontificia Legatione fungereris, illo, quo exardes in literas flagrantiſſimo amore, quamvis tot occupationibus preſſus, ac diſtentus, ſtatuiſti Graecis literis, me duce, operam dare. In quo certe praeclarum optimi iudicii tui argumentum elucet, quod vere ac ſapienter ratus es mancam eſſe doctrinam omnem, quae Graecae linguae cognitione

omni-

omnino careat. Memini praeterea Te mihi dicere, in illud ſtudium Te vehementer impelli, quod percuperes Homerum, quem omnium Poëtarum Patrem, ac Principem venerabaris, in Graeco fonte aliquando legere. Quod ſane tibi cito contigiſſet, ſi a nobili curriculo, quod tam alacriter, ac generoſe occeperas, te repente deflectere non coëgiſſet neceſſitas ad praeclariſſimam Legationem iſtam Sanctiſſimi Pontificis iuſſu abeundi. Quam vero Tibi decorum eſt, ac glorioſum, quod difficultatibus, quae Graecam linguam obſepiunt, & iuniores ipſos territant, minime fractus, ad eius ſtudium tamquam athleta ſtrenuiſſimus Te adiunxeris, conatus grandia, magnique Catonis inhaerens veſtigiis, qui & ipſe aetate provectior Graecis literis navavit operam! Invidioſum autem ſit dicere, qua benevolentia me Tibi in Graeco ſtudio facem praeferentem proſequereris, niſi forte incredibilis morum tuorum ſuavitas, quam cuncti ad Te accedentes experiuntur, nonnihil detrahat ſignificationibus cuiuſdam in me propenſioris voluntatis. Quare non ſolum con-

ſenta-

Digitized by Google

ſentaneum eſſe dixerim, ſed plane iuſtum ac neceſſarium, ut hanc primam mearum Graecanicarum Diſputationum partem ad Te deferrem, Tibi inſcriberem, tuo Nomine condecorarem. Accedit quod Pontificiam Corinthi Sedem iampridem obtines, Corinthi inquam, quae totius Graeciae lumen a Tullio dicta eſt. Accedit, quod tute ipſe ſaepius me hortabaris, atque extimulabas; ut has Homericas Diſputationes in lucem darem. Accedit quod earum plures vix a me ſcriptas, ac publice recitatas legere, & pro tua humanitate probare non es dedignatus. Hoc igitur meum qualecumque donum, aut potius debitum Tibi tributum excipe, Vir Praeclariſſime, eo ſereno, ac laeto vultu, quo me ad Te ventitantem excipere ſolebas: & quoniam locorum diſtantia nos ſeiungit, huic veluti proli meae benevolentiam tuam impertire, qua patrem complectebaris. Precor enixe D. O. M. ut ad ſublimiora Munera, quae Te expectant, ſuſtinenda pro bono Chriſtianae Reipublicae diutiſſime ſervet incolumem.

Florentiae pridie Non. Iun. CIƆIƆCCXXXX.

Digitized by Google

OΤι ποιητικῆς ἁπάσης Αργεῖοι τὰ πρῶτα Ομήρῳ ἔδωκαν, δευτέρους δὲ αὐτοῦ ἔταττον πάντας, ποιοῦντες δὲ θυσίαν, ἐπὶ ξενίᾳ ἐκάλουν τὸν Απόλλωνα, ϗ Ομηρον. *Luc. var. Hiſt. l. 9. c. 15.*

ARgivi poëticae totius primam Homero palmam tribuebant, ab eo reliquos omnes ſecundos ponebant; & ſi quando rem divinam facerent, in hoſpitalitiis invocabant Apollinem, & Homerum.

POSTERITATE SUUM CRESCERE SENSIT OPUS.
Prop.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

DE his meis Homericis Diſputationibus ut aequum feras iudicium, amice Lector, praemonendus es ad meorum praecipue diſcipulorum utilitatem me illas ſcripſiſſe, quibus multa latius explicanda, quae doctioribus fortaſſe ſint nota; niſi quod vel ipſis eruditiſſimis hominibus non fore iniucundum arbitror ea rurſus ſibi obſervanda proponi; cum praeſertim ad certa capita ferme redegerim, in eiſque explanaverim praecipuas difficultates adverſus Homerum facientes, & ab eius lectione multos retardantes, quas vel Homericae ſapientiae imperiti, vel maligni, invidique cenſores ſaepius obtruſerunt. Quamquam vero longe plurimi Homerum commentati ſint, ſparſimque & interciſe defenderint, nemo tamen huiuſmodi diſputationes ſimul omnia colligentes, quales ego lucubravi, ad hoc tempus (quod ſciam) ſcripſerat. Quae ſane ad legendum magis

Digitized by Google

alliciunt, quam longi, magnaque mole conſarcinati Commentarii, quos vix unus, aut alter legit. Reliqua, quae in eis pertractantur, atque explicantur inutile eſt praefari, quandoquidem prima, quae ceterarum veluti chorum ducit, omnia ſatis indicat & exponit. Neque vero reprehenſionem, ſed laudem mereri videntur ii, qui ab aliis tractata reſumunt, qua clarius, qua plenius, qua brevius, prout expedire iudicaverint, explicantes, eiſque ſuum iudicium, & ſuum ſcribendi ordinem adiungentes. Nam ex ipſis antiquis ſcriptoribus perpaucos legamus neceſſe eſt, ſi quae tractata ſunt ab uno, nolimus aliter tractata legere apud alium: Quid enim eſt (*inquit Tullius l. 1. de fin. bon. & mal.*) a Chryſippo praetermiſſum in Stoicis? legimus tamen Diogenem, Antipatrum, Mneſarchum, Panaetium, multos alios, in primiſque familiarem noſtrum Poſſidonium. Quid Theophraſtus? mediocriterne delectat, cum tractat locos ab Ariſtotele tractatos? Quid Epicurei? num deſiſtunt de iiſdem, de quibus & ab Epicuro ſcriptum eſt, & ab antiquis, ad arbitrium ſuum ſcribere? Quod ſi Graeci leguntur a Graecis iiſdem de rebus alia ratione compoſitis, cur noſtri a noſtris non legantur? *Quo Ciceronis loco nihil puto inveniri poſſe aptius ad me tuendum.*

Ceterum illud etiam mihi propoſui, ut harum Diſſertationum lectione & qui Graece ſcit, & qui neſcit oblectari & iuvari poſſit, adeo ut Graecae linguae ignari tantam hinc Homericarum

rerum

rerum cognitionem ſibi parent, quantam fruſtra aliunde expetant, & quam tum ad Latinas, tum ad quaſcumque literas profitendas multum ſibi prodeſſe ſentiant. Hac de cauſſa a Graeco textu afferendo mihi ſaepe de induſtria temperavi, ne viderer obruere eos, qui Graeca non intelligunt.

Quoties vero cum Homericis locis alia conſimilia confero e divinis Literis petita, ſcias volo, eo id conſilio me feciſſe, quo fecerunt clariſſimi, & ſapientiſſimi viri Huetius, & Calmetius. Et quamquam mentem hanc meam in ipſis ſaepe diſputationibus patefecerim, nihilominus etiam hic in anteceſſum manifeſtam fieri generatim volui pro omnibus locis, quae illam ferunt comparationem.

Ut autem doctrinae ſoliditate, & dictionis munditie (quantum tenuitati meae liceret) Opus hocce commendaretur, duorum doctiſſimorum hominum ſeveriori cenſurae, priuſquam ederetur, ſubiici oportere iudicavi. Cum enim utriuſque ſacri Tribunalis Praeſides, quorum eſt invigilare, nequid adverſus ſanctiſſimam Religionem, morumque probitatem promulganda volumina contineant, iudicium ferendum commiſerint Antonio Franciſco Gorio publico Hiſtoriarum Profeſſori, & Thomae Moneliae apud inclytam S. Marci Dominicanorum familiam Theologiae Lectori Primario, viris tum Graeca, tum multiplici eruditione celebratiſſimis, enixe illos rogavi, ut ſiquid etiam in re literaria perperam dictum invenirent, libere notarent, tollerent, corrigerent. Pro quo officio mihi dili-

gentiſſime praeſtito gratias ipſis ago longe maximas, & (quod poſſum in praeſentia) hoc publico accepti beneficii teſtimonio refero.

Homericis Diſſertationibus Orationes pro ſolenni ſtudiorum inſtauratione a nobis habitas adiecimus, & tum has, tum illas in tria Volumina diſtribuere ſtatuimus eo conſilio, ut unumquodque Volumen partem exhibens, utrarumque grata varietate eſſet acceptius.

In hoc autem priore Volumine inter Diſſertationes, atque Orationes narrationem de Graeco ſtudio, in quo Florentiae me Praeceptore complures ad hunc diem ſe exercuerunt, inſerendam cenſui, iis rationibus ductus, quae ibidem explicantur. Quas item rationes reſpicit Epiſtola in fine Voluminis adiecta ad Petrum Franciſcum Fogginium humaniorum literarum in Florentino Seminario eruditiſſimum Praeceptorem; in qua alii etiam, qui hac aetate in hac urbe Graecas literas conſectati ſunt, recenſentur.

Neque vero committam, quin debitas perſolvam laudes immortali viro Scipioni Maffeio plane digniſſimo, qui omnium doctrinarum appelletur lux. Cum enim adoleſcens apud Antonium Mariam Salvinium τὸν πάνυ, *cuius nominis gloriam nulla umquam delebit oblivio, Graecis literis operam darem, & Iliadem explicarem, adfuit quodam die forte fortuna Maffeius, qui tam egregie de Vatis illius praeſtantia diſſeruit, tam bonis rationibus Homericum mihi ſtudium commendavit, ut ad illud alacriter proſequendum (quod in me ſapientiſſi-*

mus

mus Praeceptor meus accenderat) ea maxime hortatione exardere viſus ſim, & iam tunc ab Homeri lectione numquam divelli, in eius carmina intime pervadere, & ea aliquando interpretari, illuſtrare, & a criminationibus vindicare ſtatuerim. Quae cum praeſtiterim, doctiſſimo Viro hanc tribuendam duxi gratiam. Et quamquam ipſe huius gloriolae non indigeat, at certe mihiglorioſum eſt me per hunc tantum Virum in Homerico ſtudio profeciſſe fateri. Et quia Homerica pertractamus, non putamus abſonum, ſpeciminis Homericae Verſionis a Maffeio concinnati, & primo Volumine Obſervat. Liter. in lucem editi mentionem facere. In eo ſiquidem nobis viſus eſt multa cum laude partes boni, fidique interpretis implere, qui ſibi propoſuerit Italicis verſibus hendecaſyllabis ſine homoteleuto κατὰ πόδα nihil ab Homeri textu divagari. Mihi ſane iucundiſſimum fuit rectum iudicium legere, quod in huius ſpeciminis prologo vir ſapientiſſimus de Homero tulit, illum appellando ceterorum omnium Poëtarum Praeceptorem, primum totius Poëſos fontem, & tot ſeculorum Oraculum.

Multum item debeo Cl. Muratorio tum gravioribus, tum politioribus doctrinis cumulatiſſime praedito. Ipſe enim octo ab hinc annis humaniſſimas ultro ad me literas dedit, quibus me extimulabat, ut Opus Homericarum Diſſertationum abſolverem, & typis evulgarem; quod illud legerat a me promitti in Praefatione libelli, quem titulo trium Fundamentorum verae Sapientiae vernacula lingua edidi. Etſi enim alii permulti mihi hortatores fuerunt,

runt, tamen adeo praecellentis in ſapientia Viri auctoritas longe magis ad me permovendum valuit.

Sed & celeberrimo Ioanni Lamio plurimis literis exculto gratias agere compellor longe maximas; qui cum a me adornari Homericarum Diſſertationum editionem audiſſet, auctor mihi fuit, ut Homericorum Codicum MSS. qui in Florentinis Bibliothecis aſſervantur, Hiſtoriam attexerem. Hoc enim conſilium, quod mihi in mentem non venerat, optimum ſtatim ſenſi; tam quia huiuſcemodi cognitionibus aetas noſtra mirifice delectatur, tum quia praeclarum eſt Urbi noſtrae, ſi literariae Reipublicae innoteſcat, complures tam inſignis Vatis Codices ab ea poſſideri; cum praeſertim optime de Homero aliis quoque nominibus merita ſit. Nonne enim ex ea primum prodiit Homerus typis excuſus? Libet de hac re eruditiſſimi Fabricii teſtimonium afferre Bibl. Gr. l. 2. c. 3. n. 17. pag. 296. Homeri Ilias, & Odyſſea una cum Batrachomyomachia, & Hymnis Graece primum vulgata eſt (cum nullus ante liber magni momenti Graecis typis exſcriptus fuiſſet) recenſente ad MSS. Codices, & Euſtathii ineditos tunc Commentarios, emendationiſque curam gerente Demetrio Chalcondyla Athenienſi, accedente dexteritate alterius Demetrii Cretenſis, typis pro illo rei typographicae primordio ſat luculentis, Florentiae A. 1488. in fol. cum praefatione Graeca Chalcondylae & Latina Bernardi Nerlii typographi ad Petrum Medicem Laurentii filium: praemiſſo Herodoto, ac Plutarcho de vita Homeri,

meri, & Dionis Chryſoſtomi Diſſertatione LIII. *Nonne Franciſcus Petrarca Homerum Latine reddi primus curavit? Id notaſſe Vigniolium Marvillium in Miſcellaneis Gallice editis legi apud eumdem Fabricium pag. eiuſdem Vol. 297. Nonne Boccaccius ut Homeri ſtudium in hac Urbe promoveretur, multum allaboravit? Id conſtat ex ipſius teſtimonio Geneal. Deorum l. 15. c. 7. pag. 113. Ed. Ven. A.* 1494. Nonne ego fui, qui Leontium Pylatum a Venetiis occiduam Babylonem quaerentem a longa peregrinatione meis flexi conſiliis, in patria tenui? Qui illum in propriam domum ſuſcepi, & diu hoſpitem habui, & maximo labore meo curavi, ut inter doctores Florentini Studii ſuſciperetur, ei ex publico mercede appoſita. Fui equidem ipſe inſuper, qui primus meis ſumptibus Homeri libros, & alios quoſdam Graecos in Etruriam revocavi, ex qua multis ante ſeculis abierant non redituri. Nec in Etruriam tantum, ſed in patriam reduxi. Ipſe ego fui, qui primus ex Latinis a Leontio Pylato in privato Iliadem audivi. Ipſe inſuper fui, qui ut legerentur publice libri Homeri operatus ſum. *Mitto Politianum, qui Homeri verſionem Latinis verſibus adornare in hac Urbe aggreſſus eſt. Quae verſio utinam extaret! Profecto haberemus Graecum Vatem cum dignitate, atque elegantia Latine loquentem. Sileo Hieronymum Baccellium, qui Etruſcis verſibus totius Odyſſeae, & partis Iliadis verſionem ſcripſit. Taceo Antonium Mariam Salvinium, qui Homerica omnia Etruſcis & ipſe*

car-

carminibus tranſtulit eo conſilio, ut totidem paene verbis, iiſdemque Graecis locutionibus, quantum fieri potuit, redderet. Maximo igitur in pretio habitum ſemper fuiſſe in noſtra Urbe Homerum, tum allata argumenta luculenter oſtendunt, tum multi Codices, quos praeclariſſimi cives magnis ſumptibus compararunt, & in patriae ſinum ad eam condecorandam magis quam gemmis, auroque contulerunt. Horum igitur iam accipe recenſionem, ſimulque aliorum quorumdam ad res Homericas pertinentium..

Ex Bibliotheca Medicea Laurentiana.

Pluteo XXXI. *Codex* 5. *Gr. Chartaceus in* 4. *continet inter alia priores duos Iliadis libros cum gloſſis & ſcholiis interlinearibus. Scriptus eſt ſec.* XV.

Eodem Pluteo Cod. 20. *Gr. Chartaceus in* 4. *continet Batrachomyomachiam. Scriptus eſt ſec.* XV.

Pluteo XXXII. *Codex* 1. *Gr. membranaceus in fol. continet* 1. *Batrachomyomachiam.* 2. *Iliadem cum perpetua paraphraſi interlineari Graeca, auctore Theodoro Gaza, a quo ſcriptus fuit hic codex ſec.* XV.

Eodem Pluteo Codex 3. *Gr. membranaceus in fol. continet* 1. *Iliadem cum ſcholiis ad marginem, & nonnullis gloſſis interlinearibus.* 2. *Batrachomyomachiam. Scriptus eſt ſec.* XIV.

Eodem Pluteo Codex 4. *Gr. membranaceus, ornatiſſimus in fol. continet* 1. *Vitam Homeri auctore Herodoto.* 2. *Vitam eiuſdem Homeri auctore Plutarcho.* 3. *Orationem de Homero auctore Dione*

Chry-

Digitized by Google

Chryſoſt. 4. Iliadem. 5. Odyſſeam. 6. Batrachomyomachiam. 7. Hymnos. Scriptus eſt ſec. xv.

Eodem Pluteo Cod. 5. Gr. chartaceus in fol. continet Homeri Iliadem cum ſcholiis, & gloſſis interlinearibus. Scriptus eſt ſec. xv.

Eodem Pluteo Cod. 6. Gr. membranaceus in fol. continet 1. Iliadem. 2. Odyſſeam. 3. Batrachomyomachiam. Scriptus eſt ſec. xv.

Eodem Pluteo Cod. 8. Gr. membranaceus in fol. continet Iliadem cum gloſſis & ſcholiis antiquis, optimae ſane notae. Scriptus eſt ſec. xiv.

Eodem Pluteo Cod. 10. Gr. membranaceus in fol. continet Iliadem. Scriptus eſt ſec. xv.

Eodem Pluteo Cod. 11. Gr. chartaceus in 4. maiore continet inter alia Iliadem cum ſcholiis, & gloſſis interlinearibus. Scriptus eſt ſec. xv.

Eodem Pluteo Codex 12. Gr. chartaceus in 4. maiore continet inter alia Odyſſeam. Scriptus eſt ſec. xv.

Eodem Pluteo Codex 15. Gr. membranaceus in 4. min. continet Iliadem. Scriptus eſt ſec. xiii. *& ſuppletus nonnullis in locis ſequenti ſeculo.*

Eodem Pluteo Codex 18. Gr. membranaceus in 4. min. continet Iliadem cum epigrammate Antipatri Sidonii, & aliis verſibus in Homerum. Scriptus eſt an. MCCCCLII.

Eodem Pluteo Codex 22. Gr. chartaceus in fol. continet 1. Iliadem cum Praefatione & ſcholiis. 2. Batrachomyomachiam. Scriptus eſt ſec. xv.

Eodem Pluteo Codex 23. Gr. chartaceus in 4. min. continet Odyſſeam cum quibuſdam expoſitionibus Fabularum in principio. Scriptus eſt ſec. xv.

Eodem Pluteo Codex 24. *Gr. membranaceus in* 4. *min. continet Odyſſeam cum ſcholiis in fine mutilus*. *Scriptus eſt ſec.* XIII.

Eodem Pluteo Codex 25. *Gr. membranaceus in* 4. *continet octo priores libros Iliadis*. *Scriptus eſt ſec.* XV.

Eodem Pluteo Codex 27. *Gr. bombycinus in* 4. *continet Homeri Iliadem*. *Scriptus eſt ſec.* XV.

Eodem Pluteo Codex 28. *Gr. chartaceus in* 4. *continet duos priores libros Iliadis cum gloſſis interlinearibus, vita Poëtae, & aliis Prolegomenis*. *Scriptus eſt ſec.* XV.

Eodem Pluteo Codex 30. *Gr. chartaceus in* 4. *mai. continet Odyſſeam*. *Scriptus eſt ſec.* XV.

Eodem Pluteo Codex 31. *Gr. chartaceus in* 4. *continet Iliadem ab* Α *uſque ad* Ξ *cum gloſſis interlinearibus, & ſcholiis quibuſdam, & periocha in fine verſu heroico*. *Scriptus eſt ſec.* XV.

Eodem Pluteo Codex 38. *Gr. chartaceus in* 4. *continet Iliadem cum argumentis, ſcholiis & gloſſis interlinearibus*. *Deeſt finis*. *Scriptus eſt ſec.* XV.

Eodem Pluteo Codex 39. *Gr. membranaceus in* 8. *continet Odyſſeam cum ſcholiis, & gloſſis interlinearibus in principio tantum*. *Scriptus eſt ſec.* XV.

Eodem Pluteo Codex 47. *Gr. membranaceus in* 4. *maiore continet Iliadem*. *Scriptus eſt ſec.* XV.

Eodem Pluteo Codex 50. *Gr. membranaceus in* 8. *continet inter alia Myobatrachomachiam*. *Scriptus eſt ſec.* XV.

Pluteo XXXIV. *Codex* 45. *Lat. chartaceus in* 4. *continet Odyſſeae Latinam verſionem interprete Anonymo*. *Scriptus eſt ſec.* XV.

Eo-

Eodem Pluteo Codex 53. Lat. membranaceus in 4. continet inter alia Batrachomyomachiam verſibus hexametris Latinis, interprete Carolo Arretino ad Marthaſium Siculum. Scriptus eſt ſec. XV.

Pluteo XXXVIII. Codex 25. Lat. chartaceus in 4. min. continet inter alia Ulyſſis Orationem ex Homero, proſa Latina cum argumento, & praefatione, auctore Anonymo. Scriptus eſt ſec. XV.

Pluteo LIX. Codex 2. Gr. membranaceus in fol. continet Commentar. Euſtathii in Iliadem ab A *ad* I *cum annotationibus in margine. In fine addita eſt Batrachomyomachia alia manu. Scriptus eſt ſec. XIV.*

Eodem Pluteo Codex 3. Gr. membranaceus in fol. continet Commentar. eiuſdem Euſtathii in poſteriores libros 15. Iliados. Deſunt nonnulla in fine. Scriptus eſt eodem ſeculo.

Pluteo LXVIII. Cod. 24. Lat. membranaceus in 8. oblongo, continet inter alia Iliadis lib. 23. abbreviatos carmine heroico Latino, Auctore Anonymo. Scriptus eſt ſec. XIII.

Pluteo LXX. Codex 35. Gr. membranaceus in 4. continet inter alia Herodotum de Vita Homeri, & Homeri Hymnos unum, & triginta. Scriptus eſt ſec. XV.

Horum Codicum notitiam debeo eruditiſſimo Antonio Maria Biſcionio, in Graecis literis olim Salvinii diſcipulo, literarii laboris tolerantiſſimo, qui utinam aliquando in lucem edat huius celeberrimae Bibliothecae Indicem a ſe accura-

 tiſſime

tiſſime adornatum ; nam quem edidit Cl. Bernardus Montfauconius in Bibliotheca Bibliothecarum acceptum a Franciſco Maria Duccio inter Salvinianos diſcipulos ſimiliter recenſendo , multis mendis ſcatet tum verborum , tum numerorum . Praeterea non dicitur in eo forma Codicum , nec quo ſeculo ſcripti ſunt .

E Bibliotheca Riccardiana .

Pluteo K. 2. *num.* 10. *Codex Gr. chartaceus in fol. ſcriptus ſec.* XIV. *continet Iliadem . Quod deeſt in principio , & in fine ſuppletum eſt recentiori manu . Praecedit brevis Tractatus* περὶ τρόπων ὀνοματοποιίας , *& Vita Homeri ex Plutarcho . Leguntur in fine ſingulorum librorum* ἀπορίαι , κὴ ἱστορίαι . Has excerpere , & Latine converſas publici iuris facere meditatur Cl. Lamius huius Bibliothecae Cuſtos, ὁ ἀδαμάντιος , quod ipſemet mihi indicavit, dum hos Codices humaniter oſtenderet .

Eodem Pluteo n. 11. *Codex Gr. chartaceus in* 4. *ſcriptus ſec.* XVI. *continet priorem Iliadis librum .*

Eodem Plut. n. 13. *Codex membranaceus in* 4. *ſcriptus ſec.* XV. *continet Hymnos Homericos .*

Eodem Pluteo n. 14. *Codex Gr. membranaceus in* 4. *ſcriptus ſec.* XV. *manu Ioannis Theſſali Scutariotae continet Hymnos Homericos .*

Eodem Plut. n. 19. *Codex Gr. chartaceus ſcriptus ſec.* XVI. *in fol. continet duos Iliadis libros , nonum videlicet , & decimum .*

Pluteo L. n. 28. *Codex Lat. chartaceus in* 4. *ſcriptus ſec.* XV. *continet Verſionem Batrachomyomachiae*

chiae verſibus hexametris eleganter concinnatam per Carolum Arretinum.

Eodem Plut. Codex Lat. chartaceus in 4. *ſcriptus ſec.* XIV. *continet primum Iliadis librum verſibus hexametris minus lepidis converſum.*

Pluteo O 4. *n.* 42. *Codex Ital. chartaceus in fol. continet Etruſcis verſibus converſos* 24. *libros Odyſſeae ab Hieronymo Baccellio Patricio Florentino.*

Eodem Plut. n. 43. *Codex Ital. chartaceus in fol. continet converſos ab eodem Baccellio ſex priores Iliadis libros, & partem ſeptimi iuſſu Magni Ducis Franciſci, ut docet epiſtola autographa initio Codicis poſita ad eumdem M. D. a Baccio auctoris fratre ſcripta* 17. *Kal. Febr.* 1582. *in qua narrat morte praeventum non potuiſſe illum reliquorum librorum verſionem abſolvere.*

E Bibliotheca Magliabechiana.

Codex chartaceus in fol. ſcriptus ſec. XVI. *continet Odyſſeae lib. primum cum Latina verſione interlineari & annotationibus quibuſdam incerti Auctoris. Fuit Mariani Clavellonii Reatini.*

Codex chartaceus in fol. ſcriptus ſec. XVII. *continet Batrachomyomachiae verſionem Italicam verſibus ſolutis ſcriptam a Ioanne Falgano, non tamen ad umbilicum perductam.*

Codex chartaceus in 4. *continet nonnullas Pauli Stecchinii Etruſcas Diſſertationes in Homerum ad Sereniſſimum Principem Leopoldum ab Etruria.*

Ho-

Horum Codicum notitiam acceptam refero Ioanni Targionio huius Bibliothecae ad publicam ſtudioſorum utilitatem propediem aperiendae Cuſtodi, Viro eruditiſſimo, egregie ἑλληνίζοντι, Botanices in Florentino Lyceo Prof., & amico meo candido.

E Bibliotheca S. Mariae de Florentia Congregationis Caſſinenſis.

Num. 36. Codex Gr. membranaceus in fol. ſcriptus ſec. 12. continet Iliadem cum argumentis, & in fine tractatum de allegoriis.

Num. 50. Codex Gr. membranaceus in fol. ſcriptus ſec. ſ. 13. continet Homeri Odyſſeam, & in fine XI. libri notanda ſunt quaedam monumenta.

Num. 64. Codex Gr. chartaceus in fol. ſcriptus ſec. 14. continet Iliadem.

Horum Codicum notitiam mecum communicavit D. Ioannes Baptiſta Rota Venetus huius Bibliothecae Cuſtos, vir multa doctrina ornatus, Graecam eruditionem amans, mearumque Homericarum Diſſertationum in Florentino Lyceo humaniſſimus, ac perpetuus auditor.

Iam vero poſtquam gentem, ac patriam meam, ut par erat, laudavi, quod Homerum plurimi ſemper fecerit, nullaque controverſia primum & maximum omnium poëtarum iudicaverit, iuſtiſſimum duco Anglicae etiam nationi debitum conſimilis laudis teſtimo-

ſtimo-

ſtimonium perſolvere; quam accepi adeo favere Homero, adeo eius poëmata in pretio habere, atque in deliciis, ut nemo fere ſtudioſorum ſit, qui illum in crumena minoribus typis impreſſum non geſtet, ut dum licet, inceſſanter lectitet. Ut vero ſileam quae anteactis aetatibus in Homerum ſcripſerunt tot doctiſſimi Auctores Angli, Iliadis certe Verſio ab inſigniſſimo noſtri temporis Vate Pope Anglicis verſibus cum homoteleuto elaborata, tam bene Homeri indolem exprimit Anglicae linguae ſervato lepore, ut eam omnes merito admirentur, atque exoſculentur. Nec minori digna eſt encomio Verſio Odyſſeae, ad quam perficiendam tum ipſe Pope, tum alii inſignes, doctique Viri ſuam ſinguli conferentes ſymbolam amice conſpirarunt. Iam vero Obſervationes in Homerum, quas Pope ad neſcio quem multis ſiglis deſignatum ſcripſit, tam bonae ſunt, tam recte, acuteque excogitatae, tamque mira breviloquentia expoſitae, ut ex eis ſolis clare liqueat qualis quantuſque in doctrina Vir ille ſit. Quid de eius in eumdem Vatem Praefatione, qua nil melius, elegantius, preſſius, ſolidius, verius, ubi praeſertim Homerum cum Virgilio componit, multoque facit praecellentiorem? Quid de ſpecimine, quod de Homeri Vita edidit? Quam bene varios Scriptores, qui Homeri vitam narrarunt, ad certa genera, ſeu capita revocat, in epitomen breviat, acrique iudicio expendit! Quam ſolertiae & iudicii laudem illi etiam tribuimus, ubi Homeri Operum attexit hiſtoriam, ac de eius ſapientia diſſerit. Sed maxime

xime omnium me tenuerunt, & iucundiſſima voluptate perfuderunt ea, quae de praeliis in Iliade deſcriptis obſervavit, explanavitque. Cum enim illorum praeliorum deſcriptiones duodecim ferme libros occupent, niſi miram eis Vates aſperſiſſet varietatem, ingenti ſane taedio legentem afficerent; huius igitur varietatis qui ſint in Homero fontes, quae ars, quae induſtria, ſubtiliter docet, omniaque feliciter enucleat. Qualis denique eſſet praeliandi mos antiquiſſimo Troiani belli tempore uſu receptus, probe animadvertit. Quod niſi attente conſideretur, ſaepe ſordere, aut deſipere videatur Homerus neceſſe eſt multa deſcribens, quae bellandi conſuetudini temporum conſecutorum minime congruunt. Cum autem avidiſſime, ac paene uno hauſtu haec omnia Gallice verſa legerem aureo libello Amſtelodami edito, quem ante paucos dies mihi commodavit quidam amicus meus, quod illi ſignificaſſem, me haec προλεγόμενα *ſcribere, ſum vehementer laetatus, quod viderem me paſſim eadem cum Cl. Pope in his ſcribendis Diſſertationibus de Homero ſenſiſſe. Itaque commendandus hic ſapiens vir, commendandi eius aſſeclae, omneſque ex Anglia ſtudioſi commendandi, qui totius poëſeos, ac doctrinae fontem communibus ſuffragiis Homerum iudicant, nocturnaque manu verſant, verſantque diurna. Equidem Gallos etiam ſummopere laudandos puto; quod Homeri ſtudium plurimum ament, ac libentiſſime amplectantur, ut ſatis oſtendunt praeclara multa Volumina de rebus Homericis, quibus literatorum rempublicam locupletarunt; inter quae Gallicam utriuſque Poëmatis*

ver-

Digitized by Google

verſionem nitidiſſimam, ab immortali femina Daceria concinnatam adiectis cuiuſdam reconditae eruditionis annotationibus eminere puto. Sed dolemus florentiſſimae nationis doctos Viros per hoſce annos bifariam diviſos, quorum uni Homeri carmina iudicant opus polymitum pulcherrimas, ac nobiliſſimas rerum omnigenarum ſpecies belliſſime depictas, ac miro ordine coaptatas, atque diſpoſitas exhibens; alteri vero ut vile, ac levidenſe aliquod textum exiſtimant, & contemnunt; cum contra Anglorum, atque Italorum, maxime vero Florentinorum nullum ferme de Homeri praeſtantia, ac principatu ſupra omnes alios poëtas diſſidium, ſed unum, & idem ſemper commune omnium conſtans iudicium. Nam unus, aut alter, cui prae inſcitia aut ambitione inſolenter ſe efferenti multi non adhaeſerunt, unanimem alicuius Gentis conſenſionem minime videntur infringere.

Sed ne te diutius immodico praefandi ſtudio detineam, benigne Lector, illud poſtremum te rogo, atque obſecro, ut ſiquid boni in hoc meo opere, quod gravis certe, ac diuturni laboris foetus eſt, dictum offenderis, gratias mecum agere velis uni Deo bonorum omnium largitori; ſiqua vero perperam excogitata, aut minus eleganter prolata videantur, haec a me ipſo profecta mihi facile condonanda cenſeas, utpote qui meam in re literaria exilitatem probe novi, ultroque fateor.

Unum verbum de imagine Homeri, qua Operis frontem condecoratam volui. Ex inedita antiqua Protoma ahenea Muſei Medicei aeri inciden-

dam curavi. Ea vero cum nonnullis aliis in litore parvae inſulae Meloriae prope Labronis portum recedente mari paucis ab hinc annis reperta eſt. Raphaël Fabrettus in explicatione veteris tabellae anaglyphae Homericae Iliadis deſcribit in hoc Vate barbam brevem, ac circinnis criſpatam, & frontem rugoſam, qualia haec Protoma ſane pulcherrimo, egregioque opificio fabrefacta mire exhibet.

Digitized by Google

I N D E X
EORUM, QUAE IN HOC PRIMO VOLUMINE CONTINENTUR.

I N H O M E R U M

D I S S E R T A T I O I.

Quae veluti ceterarum prooemium eſt.

S Y N O P S I S.

AB Homero linguae Graecae ſtudium utile eſt auſpicari. Magis res, quam verba in hiſce Homericis Diſſertationibus explanabuntur. Homeri laudes apud Herodotum, Plutarchum, atque Iacobum Duportum videre eſt. Politiano plagii crimen obiectum. Homeri aetas, patria. An ante Homerum alii Scriptores extiterint. De ſcriptis eius deperditis. Ambigitur, an Batrachomyomachia, atque Hymni ſint Homeri opus. De Iliade, atque Odyſſea nemo umquam dubitavit. Sententia Ephororum in Clazomenios. Apoſtrophe ad Petrum Franciſcum de Ricciis Senatorem ampliſſimum, & Florentini, atque Piſani Athenaei Moderatorem meritiſſimum.

D I S S E R T A T I O II.

De Homerica apud Virgilium, & Taſſum imitatione.

S Y N O P S I S.

Fons omnium poëtarum Homerus. Prima Aeneidos pars Odyſſeam exhibet, altera Iliadem. Sinonem, &

 nava-

navale certamen de ſuo confingere aliquibus viſus eſt Virgilius. Eius poëma non apographum, ſed archetypum dicendum. Linguae Latinae ingenio, ſuaeque aetatis moribus indulſit Maro. Scaliger, aliique nonnulli ſtulte Homerum prae Virgilio deſpicatui habent. Virgilius erga Homerum ingratus. Homeri modeſtia ſingularis. Complura loca, quae Taſſus accepit ab Homero. Parcior Homeri imitator Taſſus, Virgilius intemperantior. Taſſus reprehenſus, quod epiſodium omiſerit. Quae utilitas proveniat ſtudioſis ex cognitione Homericae imitationis in poëtis maximis. Horatii praecepta de imitatione. Verſiones ibi non damnantur. Voluptatem etiam affert examen illud Homericae imitationis. Huius voluptatis expers, qui Graecae linguae eſt imperitus. Ad Graecum ſtudium hortamen. Explicatio vocis *Stanze*, qua octoſticha poëmatis Etruſci nuncupantur.

DISSERTATIO III.

De Homero totius antiquitatis, omniumque doctrinarum parente.

SYNOPSIS.

Antiquitas omnis in Homero reſidet. Antiquitatis ſtudium iucundum ſimul, & ad literaturam neceſſarium. Homerus non ſolum totius antiquitatis, ſed & omnium doctrinarum theſaurus; videlicet Poëtices, Rhetorices; Philoſophiae tum naturalis, tum moralis; Medicinae, Iuriſprudentiae; vitae civilis, militaris, agricolaris; Theologiae, Geographiae, Aſtronomiae. Omnes omnis aevi ſcriptores Homerum ſummis laudibus extulerunt. Alcibiades colaphum impegit cuidam ludimagiſtro, qui Homero ſe carere dixit. Cohortatio ad aſſiduam Homeri lectionem, & Graecae linguae ſtudium. Graeca lingua Helenae comparata. Nemo Graecae linguae imperitus

peritus ad Homeri lectionem accedat. Tota Ilias in membrana, quam nucis teſta caperet, deſcripta. Glandula pinealis Carteſii.

DISSERTATIO IV.

De Iulii Caeſaris Scaligeri in Homerum cenſura.

SYNOPSIS.

Quam ſit Scaligeri iudicium audax, & Homero iniurioſum. Scaligeri doctrina atque eruditio multis teſtimoniis comprobata. Nimium ſibi tribuebat. Contumeliae, quas in Eraſmum fudit, ingenuo viro prorſus indignae. Ex ambitione, Homeri hoſtis eſſe voluit. Poëſeos Graecorum ex filii teſtimonio parum fuit peritus. Virgilius ab Homero in multis prudenter deſcivit, ut ſui temporis moribus, Latinaeque linguae ingenio ſe accommodaret. Quamvis doctis viris bene ſapit Virgilius, melius tamen ſapit Homerus. Quam inſolens in elegantiſſimos, atque maximos poëtas etiam Latinos Scaliger fuerit. Tres praecipue Homeri Cenſores iniuſti. Qualis Critice commendanda, qualis reſpuenda.

DISSERTATIO V.

De Platone Homerum e Repub. dimittente.

SYNOPSIS.

Homeri exiſtimatio laedi videtur, quod a Platone reprehendatur. Amicus Plato, ſed magis amica veritas. Quam abunde libros ſuos Homericis verſibus locupletaverit. Homerum damnat, quod de Diis ſermonem habens, fabuloſas allegorias uſurpet. Ipſemet Plato allegoriis abundat. Sanctius de Divinitate in Rei-

Reipublicae libris diſſeruit. Illorum librorum maculae, atque naevi. Alibi de Diis vulgo acceptas opiniones complectitur. Plato aeque atque Homerus modo decore, modo indecore de Diis diſputant. Sanae religionis principia bona apud utrumque. Inique a Platone Homerus reprehenſus, quod aſpectabiles formas Diis affinxerit. Alius Platonis error, qui Homerum arguit, quod ſacrificiis flecti Deos dixerit. Refellitur item Plato, ubi Homerum culpat, quod Scamandrum inducit opem a Xantho petentem adverſus Achillem. Suſpicio eſt Platonem erga Homerum invidia laboraſſe. Multa poëtice ſcripſit. Stylus eius poëticus etiam in oratione ſoluta. Dictionem & doctrinam Homeri ubique ſapit. Cicero extimulante invidia Graecae linguae detraxit. In bonorum etiam animos invidia ſe latenter inſinuat.

DISSERTATIO VI.

De Repetitionibus Homero familiaribus.

SYNOPSIS.

Abeſt ab Homero tautologia, quae quid ſit explicatur. Repetitiones apud eum nemo umquam veterum culpavit. Si repetitiones tollantur ab Homeri carminibus, maximum ab iis ornamentum tollatur neceſſe eſt. Conſuetudo huiuſmodi repetitionum antiquis temporibus vigebat. Non tamen eadem libertate ſive in Latino, ſive in Etruſco ſermone eas nunc uſurpare nobis liceat. Cicero huius parvae obſervationis fuit ſecurus. Idem dictum apud Virgilium ſaepius repetitum. Iteratio apud Homerum non a linguae Graecae, quae ceteris eſt locupletior, inopia provenit. Duo contraria conſilia, hoc iterandi, illud variandi; unum antiquorum, alterum recentiorum. Immoderatio utrobique cavenda. Exemplum picturae, in qua tenuiſſimas

nuiſſimas quaſpiam res iterare nullum eſt vitium. In nuntiis Homericis eorumdem verborum in mandatis exponendis repetitio defenditur. Humani ingenii indoles repetitiones non reſpuit. Homerus ſua poëmata concinnavit, ut cantarentur. Epitheta ſive Deorum, ſive Heroum ſunt veluti quaedam agnomina titulique. Noſtris etiam moribus huiuſmodi agnomina, atque tituli nuſquam variantur. Epitheta Homerica in partem veniunt formandarum perſonarum.

DISSERTATIO VII.

De Iliadis exordio, Achillis ira, Deique voluntate mala hominibus immittentis.

SYNOPSIS.

Ab invocatione divini Numinis Iliadem auſpicatur vates. Ceteri poëtae ſunt illum in hac invocatione imitati. Haec invocatio & religionis documentum eſt, & veriſimilitudinem iis, quae narraturus eſt, aſtruit. Quam ſtulte Protagoras Homeri invocationem carpſerit. Stulte itidem reprehendunt poëtam alii, quod Achillis iram canendam ſuſceperit. Ira teterrimum malum ſummopere deteſtandum, atque fugiendum. Quomodo divina voluntas mala hominibus inferat. Duplicis generis mala. Plutarchus non bene videtur Homeri mentem interpretari. Homerus non eſt plagiarius carminum Sibyllinorum. Gulielmi Canteri ineptum iudicium. Sibyllina, quae circumferuntur, ſunt ſuppoſititia. Πάρεργον de Graeca pronunciatione.

DIS-

DISSERTATIO VIII.

De cauſſa irae Achillis; de ſomniis; & de periculoſa Regis increpatione.

SYNOPSIS.

Narrationis ſumma, ex qua totum dependet Iliadis poëma. Somniorum alia naturalia, divinitus alia immiſſa. Naturalium mira varietas, & complures cauſſae. Non ſolum ab Iove, ſed etiam ab aliis Diis immitti ſomnia crediderunt Ethnici. Aegri in Aeſculapii templo captabant ſomnia. Teſtimonia e ſacris Paginis petita ſomniorum a vero Deo immiſſorum. Apud Ethnicos ars interpretandi ſomnia futilis & praeſtigioſa: Non ſine Deo videtur ſomniaſſe Mandane Cyri mater. Somniorum duae portae. Earum explicatio. Chalcas augur quamvis ad libere loquendum ab Achille extimularetur, Agamemnonem coarguere renuebat. Magni Alexandri Clytum inter epulas ob reprehenſionis libertatem necantis ſaevities. Leonis, & Regis ſimilitudo. Exemplum Tiberii vindictam procraſtinantis. Summa prudentia, ac dexteritate in commonendis Regibus opus eſt.

DISSERTATIO IX.

De Heroibus Homericis.

SINOPSIS.

Agamemnon aſperioribus verbis Chalcantem perſtringit, plenaque arrogantiae reſponſione & ipſum laedit Achillem. Aeſtuanti iracundiae non ſtatim toto niſu obſiſtendum. Achillis in Agamemnonem convicia. Agamemnon Achilli aufert Briſeidem. Achillis ira quam fue-

fuerit pervicax. Zoili finis. Heroas non facit Homerus ab humanis vitiis immunes. Nullibi vitia, ſed ubique virtutem commendat. Famam, ſive traditionem, quae de Heroibus percrebuerat, ſecutus eſt. An Heroes Homerici ſint impii? De Boccaccii irreligioſis dicacitatibus. Nemo umquam extitit vitiis omnibus expers. Ulyſſes imprudens, dum inſultat Cyclopi. Aeneas credulitate Didonis abutitur. Quaevis aetas, ſive ſeculum quaedam peculiaria vitia, & virtutes habet. Mores ſimplices, &. faciles temporum Heroicorum. Stultum eſt in Homero Gallorum, aut Italorum mores deſiderare.

DISSERTATIO X.

De Achillis conviciis, & Latina Homeri ad verbum verſione.

SYNOPSIS.

Non Homerus, ſed interpretes, aut etiam ipſa Latina lingua culpanda eſt, quod multa ab eo dicta ſqualere videantur, & eſſe ſordida. Homerus, qualem exhibent interpretes, Helenae demortuae aſſimilatur. Siquis Boccaccium, atque Dantem ad verbum Latine interpretaretur, eos miſerrime deformaret. Achillis convicia ſingillatim explicantur, atque illuſtrantur. Canis impudentia deſcribitur. Agamemnon in pugna vitae, neciſque habuit poteſtatem; in concione, ceteriſque, non item.

DISSERTATIO XI.

De iiſdem conviciis, Latiniſque Homeris verſionibus tum ad ſententias, tum ad ſingula verba conflatis.

SYNOPSIS.

Nulla Homeri interpretatio, licet ſummo ſtudio, atque diligentia elaborata, Graecam elegantiam exaequare umquam poterit. Laus Annae Daceriae, quae Gallico ſermone nitidiſſimam Homeri interpretationem dedit. Similitudo quaedam Homerica a bobus ducta defenditur, atque illuſtratur. Epithetum βοῶπις Iunoni a Poëta attributum, aptiſſimum eſſe oſtenditur, ac pulcherrimum.

DISSERTATIO XII.

Iterum de Homeri verſionibus.

SYNOPSIS.

Amanti nihil iucundius, quam amicae laudes iterum, ac ſaepius pertractare, eiuſque pulcritudinem adverſus calumniatores tueri. Quo abſolutius exemplar, eo difficilius eſt illud imitando exprimere. Homerus epicum carmen occoepit, perfecitque. Homericae praeſtantiae amplificatio. Homeri elegantiam nullus interpres in aliam linguam transferre poteſt. Magis Homero verſiones obſunt verbo tenus confectae, quam quae liberiore ſtylo ſententias conſectantur. Tullius multa verrit e Graeco non ut interpres, ſed ut orator. Utilitas huiuſcemodi ſtudii, ac laboris. Interpretationes ad verbum quibus ſint utiles. Antonii Mariae Salvinii, eiuſque Italicae interpretationis commen-

mendatio. Quantum in deliciis Homerum habuerit Claudius Belurgerius.

DISSERTATIO XIII.

De Heroum, ac praeſertim Achillis lacrymis.

SYNOPSIS.

Probi viri, etiamſi ſtrenui, atque magnanimi, largi ſunt lacrymarum. Exempla e veteri Teſtamento petita. Chriſti lacrymae. Locus inſignis D. Baſilii de lacrymis. Omnis prorſus pietatis expers eſt, qui numquam lacrymatur. Flevit Achilles tum rapta ſibi Briſeide, tum extincto Patroclo. Lacrymae Achillis cum Isboſethi lacrymis comparantur. Lacrymae Agamemnonis. Locus Homeri cum Ieremiae verbis apprime conſonat. Fletus Eſavi. Heroum Romanorum ex ira flentium exempla tria. Socrates Achillem lugentem ſubſannat in Rep. Apoſtrophe ad auditores.

DISSERTATIO XIV.

De Heroum mendaciis.

SYNOPSIS.

Plato, aliique mendacium, quod vocant officioſum, honeſtum eſſe docuit. Mendacium a Chriſtianorum doctrina eliminatum. Ethnici Heroes ad Chriſtianorum Heroum exemplum non potuerunt effingi. Odium, atque inimicorum ultio antiquis conceſſa, a Chriſto vetita. Locus Iſocratis de ultione inimicorum. Mendacia Ulyſſis, aliorumque Ducum ad militaria ſtrategemata facile reduci poſſunt. Chriſtianos mentiri dedecet. Qui mentitur ſermonis facultate perverſe abutitur, naturaeque conſilium irritum facit. Mendacem

pica exprimit. Humanam ſocietatem mendacium evertit. Mendacium natura ſua malum nulla res, quae illud circumſtet, honeſtum facit. Mendacia ſeipſa produnt. Homerus ipſe a mendacio deterret. Proverbium *agere Graeca fide* explicatur.

DISSERTATIO XV.

De laudatione, qua Homerici Heroës ſeipſos interdum extollunt.

SYNOPSIS.

Laus in ore proprio ſordeſcit. Iactationis definitio. Duae cauſſae, cur ſit vitioſa. Vates ſunt glorioſi. Homeri modeſtia. Pindarus, Horatius, & Ovidius laudibus ſeipſos vexerunt. Similiter Cicero. Gloriatio minus dedecet milites. Gloriatio Aeneae. Intoleranda Maximini Imperatoris iactantia. Cauſſae quae iactationem excuſant quatuor. Senes propriis laudibus indulgent. Sine cauſſa laudare ſeipſum turpe eſt. Aliqua ferme cauſſa Heroas Homericos de ſe magnifice loquentes tuetur. Nequaquam damnandus Homerus quod militares homines thraſonice loquentes fecerit.

DISSERTATIO XVI.

De Armis aereis.

SINOPSIS.

Paſſim ab Homero celebratur aes in armis. Virgilius ea, quae ab Homero nuncupantur aerea, plerumque dixit ferrea. Teſtimonia aliorum ſcriptorum de uſu aeris. Idaei Dactyli aeris temperaturae auctores fuerunt. Arma, atque inſtrumenta aerea veterum adhuc extantia in Cimeliis. Homerus, alique ſcriptores

res

Digitized by Google

res non uſurparunt figurate aes pro ferro. Oſtenditur teſtimonio ſacrarum Literarum. Aes ferro firmius, ac perennius. Aes ad ſplendorem ac magnificentiam viſum eſt opportunius. Non rubigini obnoxium. Gratum Diis, & boni omnis. Apud ipſos Hebraeos religioſius. An ferro prius aes fuerit inventum. Omnia ſimul metalla reperiri non potuerunt. Centum, & octoginta ſex annis ante bellum Troianum ferrum repertum eſt. De cupro. Diſputationis epilogus.

DISSERTATIO XVII.

De cibo, potuque Heroum.

SYNOPSIS.

Panis pro quovis edulio. Panis vel ex tritico, vel ex hordeo. Panis in caniſtris ferri ſolitus. Carnes boum, ovium, caprarum, ſuum, in cibum, & plerumque dumtaxat aſſae. Animalia provectioris aetatis ad victum mactata. An feras, an piſces, an fructus, & olera Homerici Heroes manducaverint? Vini uſus apud Homerum maximus. Feminae etiam iuvenculae, etiam ipſi pueruli heroicis temporibus vinum potitare ſoliti; quod non probat Plato. In utre caprino vinum habebatur; nihilominus etiam dolia fuerunt in uſu. Magno in pretio apud Graecos vini vetuſtas, & color niger. Vinum Maroneum generoſiſſimum. Vinum in cratere aqua temperabatur. Antiquitus cornua pro poculis. Deinde pocula ex auro, & argento. Mactationes animalium fere erant ſacrificia. Statim ac mactaverant animalia, coquebant, edebantque. Vel carnibus rigentibus delectabantur, vel teneriores erant noſtris, vel ſtomacho utebantur validiore. Stomachi ſtrenuitati tribuendum videtur, quod magna cibi, carniumque copia ſe poſſent ingurgitare. Convivium Abrahami tribus hoſpitibus paratum. Salo-

monis menſa ſumptuoſiſſima. Cyceonis explicatio. Angli vinum cum lacte commiſtum iucunde potant. Vinum unguento permixtum apud veteres Romanos. Caepae in Graecia non acres, ſed dulces, nec maleolentes. Guſtus populorum diverſus.

DISSERTATIO XVIII.

De ſtatura, & robore priſcorum Heroum.

SYNOPSIS.

Plura, quae fabuloſa videantur, fabuloſa nequaquam ſunt. Antiquis temporibus vere extiterunt gigantes. Nullo modo illorum ſententia amplectenda, qui gigantis nomen in ſacris Literis metaphorice interpretantur. Multa exempla conglobata afferuntur de proceris cadaveribus per totam Graeciam, atque alibi diſperſis, & frequenter effoſſis, quae probabiliter Heroum Troiani belli eſſe creduntur. Cauſſae cur paulatim imminuta fuerit ſtatura, & robur hominum priſcorum in poſteris, luxuries nimirum, intemperantia, deſidia. Cornelii Celſi luculentum teſtimonium. Carnium copiam comedebant Heroes, ſed nulla condimentorum acceſſione, vinoque liberaliter indulgebant, ſed aqua ferme diluto.

DISSERTATIO XIX.

De voce Stentoris.

SYNOPSIS.

Aerea vox Stentoris non pro infragili, ſed pro immenſa uſurpatur ab Homero. Aes campanum turris veterum Aedium regiarum in foro maximo. Sennacheribi clamor adverſus Iudaeos obſeſſos. Herodo-

tus

tus cuiuſdam Aegyptii meminit vocaliſſimi. Vox teterrima cuiuſdam lenonis apud Boccaccium. Traſybulus Athenienſium Dux vocis magnitudine perinſignis. Carneadis Philoſophi maxima, ac ſonantiſſima vox. Concertantium in philoſophicis, aut theologicis diſputationibus clamor. Stentorea vox in cantu. Ingens vox roboris, ac fortitudinis indicium. Voce bonus Menelaus, aliique Heroës appellati. Vox magna leonis, & tauri. Neptuni clamor paene incredibilis. Laus Daceriae, quae Homericum locum elegantiſſime in Gallicum ſermonem vertit. Quomodo Virgilius locum de Stentore imitatus ſit. Vox Stentoris in proverbium abiit. Tota Ilias in membrana deſcripta, quam teſta nucis caperet. An id fabuloſum. Siglis, ac notis compendiariis Graeci amanuenſes abundabant. Catecheſes Cyrilli Ieroſolymitani extemplo dictae, ab amanuenſibus exceptae. In inteſtino draconis utrumque Homeri poëma aureis litteris deſcriptum. Callicratis, ac Myrmecidis tenuiſſimi currus, qui ſub alis muſcae abſcondebantur. Minutiſſimis etiam literis ſcripta quaedam noſtrorum temporum.

DISSERTATIO XX.

Quae ſummam totius Iliadis nonnullis animadverſionibus illuſtratam exhibet.

SYNOPSIS.

Haec ſumma Virgiliano aenigmati coeli, ac tabulae geographicae comparata. Magis unum Achillem, quam totum Graecorum exercitum timent Troiani. Centum millia virorum in Graecorum acie numerata ſunt. Catalogus copiarum, naviumque pleniſſimus veterum hiſtoriarum theſaurus. Commentaria in hunc catalogum anti-

antiquitus ſcripta. Quid Homerus intellexerit in Minerva Pandaro ſuadente, ut foedus iuramento ſancitum violaret. Ethnici putarunt Deos humanis affectionibus & calamitatibus obnoxios vulnerari poſſe, non autem mori. Mille Graecorum fuerunt naves. Pro muro ad eas defendendas ſatis erat Achilles. Ex orationibus, quas ad Achillem habuerunt miſſi Oratores, multum profecit Demoſthenes. Uberrima rerum varietas apud Homerum mirifice delectat. Iovis ſomnus explicatur. Alexandri M. ad Achillis tumulum fletus. Boivinius aere caelatam clypei Achillis figuram dedit. Plurimum antiquae eruditionis hauriri poteſt ex deſcriptione pyrae atque exequiarum Patrocli. Homeri & Virgilii comparatio in deſcriptione ludorum ſive certaminum. Regiis aedibus Iliacum Homeri poëma aſſimilatum.

NARRATIO DE GRAECO STUDIO.

DEſumpta eſt e Commentariis, quos Auctor ad Ampliſſimum Virum Gabrielem Riccardium bifariam ſcripſit. Eam componunt duo ἀποσπάσματα e duabus horum Commentariorum partibus diverſis temporibus ſcriptis; prima nimirum an. 1730. altera an. 1739. Refert in hac Narratione qui ſibi ad hoc tempus fuerint Graecanici diſcipuli; & in altera parte agit etiam de ſtudio Muſices, & rei antiquariae, quibus tamquam dulcibus, validiſque vinculis nonnulli iuvenes in Graeco ſtudio firmiter ab eo detinentur. Scopus vero, quo collinat tum haec Narratio, tum altera, quam Epiſtola in fine Voluminis poſita continet, ille eſt, ut clare liqueat Graecas literas in hac Urbe hac aetate, & in pretio habitas, & excultas, & propagatas eſſe non minus, quam (ſi Diis placet) apud exteros quoſvis.

ORA-

Digitized by Google

ORATIONES PRO SOLENNI INSTAURATIONE STUDIORUM.

O R A T I O I.

Eos qui literas Graecas callent longe ampliorem longeque iucundiorem ſibi ſapientiam comparare, quam qui Graece neſcientes aliunde eam expetere neceſſe habent.

O R A T I O II.

Diſcipulorum ſocordia, optimorum Praeceptorum virtutem frangi; ſtudio vero eorum, ac ſedulitate mediocribus etiam addi virtutem, ut fiant optimi.

O R A T I O III.

Profanarum literarum ſtudioſis neceſſariam eſſe ſacram doctrinam, contraque ſacrae doctrinae cultoribus neceſſarias eſſe profanas literas.

EPISTOLA AD PETR. FRANC. FOGGINIUM.

S Y N O P S I S.

Qui Florentini Seminarii alumni Graecum ſtudium excoluerint. Marſilius Ficinus Catalogum edidit ſuorum diſcipulorum, & Menchenius diſcipulorum Politiani. Huiuſmodi narrationes ad literariam hiſtoriam conferunt. De Collegio Eugeniano. De Collegiis Ieſuitarum, & Scholarum Piarum. Recenſentur complures alii φιλέλληνες. Alii Auctoris diſcipuli, qui in priore Narratione fuerant praetermiſſi. Graecanica ſolennis recitatio in Carmelitarum Templo habita an. 1716. De nonnullis Graecanicis diſcipulis, qui etiam Graecum cantum, & Graecae Liturgiae caerimonias didicerunt. Quomodo in hac Urbe hac aetate Graecum ſtudium diffundi caeperit. De tribus Averaniis. De Antonio Maria Salvinio. Catalogus diſcipulorum Salvinianorum. Alii, qui Graecam linguam docuerunt, eorumque diſcipuli. Laus Senatoris Philippi Bonarrotii. Epiſtolae concluſio.

AP-

APPROBATIONES.

EXcellentiſſimus, & Admodum Rev. D. Antonius Franciſcus Gori Sacrae Theologiae Profeſſor videat librum hunc, cui titulus: *Diſſertationes Homericae*, & referat an aliquid contineat, quod Sanctae Fidei, aut bonis moribus adverſetur. Dat. decimo quarto Calendas Martii 1739. ab Inc.

Iulius del Riccio Vic. Gen.

Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Domine.

Diſſertationes Homericas, quas in Florentino Lyceo habuit meus Collega, Vir eruditiſſimus, Angelus Maria Riccius, Publicus Graecarum Litterarum Profeſſor, legi adcurate ac perlubenter: quumque egregium hoc Opus, multiplici exquiſitae eruditionis fruge refertum, nihil contineat quod vel Chriſtianae Religionis veritati boniſque moribus adverſetur; quin mirum in modum ad ſtudia Graecae Litteraturae excolenda Florentinam Iuventutem inflammet, quae ſemper in hac Urbe floruerunt; publica luce dignum cenſeo, ac perutile futurum arbitror.

E meo Muſeo x. Kal. Martias anno Aerae Flor. MDCCXXXIX.

Humillimus Famulus
Antonius Franciſcus Gorius.

Attenta ſupradicta relatione, imprimatur
Iulius del Riccio Vic. Gen.

Rev.

Rev. Adm. Pater Fr. Thomas Vincentius Moniglia Ord. Praed. in Flor. S. Marci Collegio S. Theologiae Prof. Primarius pro S. Off. videat, & referat.
Dat. in Aedibus S. Inquiſitionis Flor. nono Kal. Martias Aerae Florentinae 1739.

Fr. Franciſcus Ant. Benoffi Ord. S. Franciſci S. Th. Mag. Vicarius Generalis S. Inquiſitionis Flor.

Reverendiſſimi P. Inquiſitoris Generalis Florentiae mandato, legi *Diſſertationes Homericas* Cl. Viri Angeli M. Riccii, Graecarum Litterarum in Florentino Lyceo Publici Profeſſoris, nihilque in eis deprehendi quod Orthodoxae Religioni boniſque moribus non ſit conſentaneum. Itaque elegantes atque luculentiſſimas haſce lucubrationes, dignas quae typis vulgentur, cenſeo: planeque confido fore ut noſtrates adoleſcentes, facem praeferente eruditiſſimo viro, de illis, patriaque (bonarum artium, Graecarum praeſertim diſciplinarum altrice) optime merito, omnem nervum contendant, & ad veterem maiorum ſuorum gloriam adſpirent.
Florentiae in Collegio S. Marci Ord. Praed. v. Cal. Martias, Aerae noſtrae, An. MDCCXXXIX.

F. Thomas Vinc. Moniglia O. P. in Flor. S. Marci Coll. S. Theolog. Profeſſor Primarius.

Stante ſuprapoſita relatione, imprimatur

Fr. Franciſcus Ant. Benoffi S. Th. Magiſter Vic. Gen. S. Inquiſitionis Florentiae.

Carolus Ginori pro R. C. vidit.

Av-

ΑΝδρῶν ἡρώων κοσμήτορα θεῖον Ομηρον
  Τόν ποτε Πιερίδων ἀσ̆έρα ϗ Χαρίτων,
Ηδυέπην Φοῖβος περὶ Μουσῶν ἔμμεν' ἀοιδὸν.
  Ως ἴδεν ὡς Φοίβου τοὔνομα δῶκεν ἔχειν.
Φοῖβος ἔην Μούσαισι περίκλυτος αὐτὸς Ομηρος,
  Πανταχόθεν κόσμῳ φέγγεα Φοῖβος ἔην.
Τῷ δ' αὖ λαμπομένῳ ἐπὶ οὐρανοῦ, ἠδ' ἐπὶ γαίης
  Κηλῖδες ἔγγιζον, καί νυ περισκότεον.
Ρίκκιος ἀντέστη, ὅδε ϗ φωστῆρος ἀγαυοῦ
  Τὸ σκότος ἤπειρξεν, φῶς τ' ἐπέβαλλε νέον.
Κρείττονα νῦν Μοῖσαι κλείοιτε Προμηθέα, Φοῖβος
  Τοὔνεκα ἄσπιλος, ϗ φάος αὐξάμενος.

Νικόλεω Στανισλάου Μεουκκίου.

DIvinum Heroum cantorem Phoebus Homerum,
  Eximium Charitum, Pieridumque iubar,
Ut blando vidit cantu viciſſe Camoenas,
  Continuo Phoebi nomen habere dedit.
Phoebus erat Muſis iam Vates ipſe, novoque
  Undique Terrarum lumine Phoebus erat.
At dum praefulgens Terris Coeloque nitebat,
  Neſcio quas maculas vulgus adeſſe putat.
Riccius at contra ſtetit, atras diſpulit umbras,
  Et priſco lumen addidit ipſe novum.
Nunc fauſtum, Muſae, celebrate Promethea: Phoebus
  Quo caruit maculis, auctus & igne novo eſt.

Nicolai Staniſlai Meuccii.

IN

IN HOMERUM

DISSERTATIO I.

Quae veluti ceterarum prooemium eſt.

S Y N O P S I S.

AB *Homero linguae Graecae ſtudium utile eſt auſpicari. Magis res, quam verba in hiſce Homericis Diſſertationibus explanabuntur. Homeri laudes apud Herodotum, Plutarchum, atque Iacobum Duportum videre eſt. Politiano plagii crimen obiectum. Homeri aetas, patria. An ante Homerum alii Scriptores extiterint. De ſcriptis eius deperditis. Ambigitur, an Batrachomyomachia, atque Hymni ſint Homeri opus. De Iliade, atque Odyſſea nemo umquam dubitavit. Sententia Ephororum in Clazomenios. Apoſtrophe ad Petrum Franciſcum de Ricciis Senatorem ampliſſimum, & Florentini, atque Piſani Athenaei Moderatorem meritiſſimum.*

AB Homero Linguae Graecae ſtudium incipiendum eſſe vel ipſis adoleſcentibus, ipſiſque pueris, cum Fabio Quintiliano exiſtimamus. Quamquam enim ad intelligendas eius virtutes firmiori iudicio opus ſit, atque aetate magis adulta, interim tamen & ſublimitate heroici carminis animus aſſurgit, & ex magnitudine rerum ſpiritum ducit, & optimis imbuitur. Difficile dictu eſt, auditores, quantum habeat momenti guſtum optimarum rerum protinus inſeviſſe teneris animis; ut enim luculentiſſime teſtatur Horatius: (*Lib. I. Ep. I.*)

Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem
Teſta diu ———

Sicut enim vas novum acceptum odorem ſive bonum, ſive malum diutiſſime ſervat, ſic novae puerorum, & adoleſcentium mentes, quibus imbuuntur rebus, eas tenaciſſime retinent; ita ut totius reliquae vitae expectatio ab educatione pueritiae pendeat; non ſecus ac ſpes meſſis poſita eſt in ſemente. Hoc igitur in cauſſa fuit, optimi adoleſcentes, cur hactenus privatim, & intra domeſticos parietes nobiliſſima, ſatiſque nunquam laudata Homeri carmina maxima ex parte vobis explicaverimus; quemadmodum & deinceps, dum ad calcem perveniamus explicare pergemus. Cum vero domi docentibus illud praecipue in animo propoſitum nobis ſit, ut

Grae-

Digitized by Google

Graecae linguae ſcientiam addiſcatis ; idcirco maxime omnium ſignificationes verborum expendimus , grammaticas leges tradimus , & in dictionis enodandae difficultatibus pene toti ſumus. Verum in hac publica ſapientiae luce , ac praeclariſſimo doctrinarum omnium Lyceo, ubi ipſummet Homerum vobis explanare ſtatuimus , moleſtis , atque ſpinoſis grammaticis diſputationibus, quae loci dignitatem minime decent , procul amandatis , atque reiectis , res ipſas potius, quam verba , ea qua poterimus ſermonis elegantia atque nitore , differendo proſequemur , veſtriſque ingeniis multiplicis doctrinae pabulum non parum , ut confidimus , ſuave , atque iucundum afferemus. Sed antequam id facere aggredior, opus eſſet , ut vobis tanti vatis , quem ut ingeniorum miraculum omnes aetates ſuſpexerunt, laudes attexerem , opus eſſet , ut eius nominis famam ſplendido atque magnifico orationis apparatu veſtris animis ingererem , multaque alia quae ipſum ſpectant vobis antea enarrarem. Cum vero oratione noſtra , qua ad Graeci ſermonis ſtudium vos impellebamus non multis ab hinc diebus habita , eius laudes nonnihil attigerimus , & privatis etiam explanationibus domi peractis , quas modo memorabam , ab eius laudibus celebrandis nunquam deſtiterimus , novam de eo laudationem hodie inſtituere neceſſe haudquaquam habemus. Plenae iam ſunt aures veſtrae Homeri laudibus, eiuſque nominis magnitudinem ſatis iam perſpectam habetis. Quod ſi adhuc eius

laudes audire exoptatis, Homerique celebratione veſter animus haudquaquam expletus eſt, ad Herodotum, atque Plutarchum vos remitto, qui eius vitam diſertiſſime conſcripſerunt, atque ad Iacobum Duportum, qui quidquid laudis ſapientes omnium ſeculorum viri in Homerum congeſſerunt diligentiſſime conquiſivit, atque in unum collegit, ne forte ſi ex hiſce ſumma capita delibarem, mihi probro verteret quiſpiam; quemadmodum olim Ianus Laſcaris, deinde vero Gulielmus Budaeus Politiano hoc eodem munere in hac Urbe fungenti exprobrarunt, nempe tamquam plagiarium ab Herodoto, atque Plutarcho impudenter ſuffuratum eſſe quidquid in Homeri laudem ſuis praelectionibus in medium attulit. Accedit, quod conſequentibus diſputationibus, & alias nacti occaſiones multifariam Homeri laudes iterum iterumque pertractabimus. Cetera vero quae ad illum pertinent, videlicet qua aetate floruerit, quam patriam habuerit, an ante illum alii Scriptores extiterint, & quae ipſemet extra omnem controverſiam ſcripſerit, ſatis eſto ea omnia digito ſolummodo indicaſſe; properamus enim ad alia explananda, quae certe vobis plus utilitatis afferent, atque voluptatis. Quod ſpectat ad aetatem, vixiſſe perhibetur circa annum centeſimum ſexageſimum octavum poſt Troianum bellum, annoque ante expeditionem Xerxis ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo. De eius patria ſeptem urbes litigant

Smyr-

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamis, Chios, Argos, Athenae.

Allatius ut patriam ſuam condecoraret audacter Chium fecit ; fecit Chium etiam auctor Sybillinorum (*lib.* 3.)

——————— χῖον δὲ καλέσει ἑαυτόν.

Septuaginta circiter Scriptores ante Homerum floruiſſe memorantur ; quos tamen validis innixi rationibus omnes eſſe ſuppoſititios arbitramur . Prima igitur ſcripta , quae poſt Moſis libros aevum tulerunt , Homeri affirmamus fuiſſe poemata , non quod nullum putem ante illum extitiſſe , qui ſapientiam pertractarit , & ligata vel ſoluta oratione lucubrationem aliquam ediderit, ſed quod fortaſſe Homerus primus a Graecis habitus eſt dignus , cuius carmina ſcripto exciperent, poſteriſque legenda tranſmitterent. Itaque & Mercurii Triſmegiſti libros , & Daretis Phrygii hiſtoriam de bello Troiano , & Orphei , Muſaei , Pythagorae , aliorumque carmina ; carmina item Sibyllina , a recentioribus conſecutarum aetatum hominibus conficta , utque famam atque exiſtimationem libris ſuis conciliarent, veterum illorum virorum nominibus inſcripta eſſe non dubitamus . Iam vero ad ea , quae ſcripſit eſt deveniendum . Neque hic diutius immorari utile ducimus , ea recenſentes opera , quae Homerum ſcripſiſſe ferunt , deinde vero culpa temporis intercidiſſe . Cum enim minime compertum habeamus , an vere illa ſcripſerit

pſerit Homerus, quinimmo de ea re acrioris iudicii viri ambigant non pauci, & in adverſam potius partem propendeant, quid in iis enarrandis, atque excutiendis tempus perperam abſumamus? Quae vero ſuperſunt ea ſunt; Ilias, Odyſſea, Batrachomyomachia, atque Hymni. Batrachomyomachiam poëma ſcilicet ludicrum de bello ranarum, & murium (*Vid. Biblioth. Gr. Fabricii T.* 1. *l.* 1. *c.* 2. *num.* 1.) alii fidentiſſime Homero tribuunt, alii fidentiſſime abnegant, eiuſque poëmatis Pigretem quemdam faciunt auctorem, ut praeſertim apud Plutarchum in extremo libro de malignitate Herodoti videre eſt. Hymnos pariter ut duriuſculos, neque illam Homeri dictionem auream ſuaviſſimamque praeſeferentes libentiſſime ab Homero reiicerem, niſi Pauſaniae, Stephani Byzantii, Thucydidis, ac Diodori Siculi auctoritas deterreret, qui Homeri partum eos agnoſcunt, putantque ab illis Orphicos Hymnos (ſi tamen Orphei ſunt, & non potius Onomacriti) non quidem religione, ſed elegantia ſuperari; crediderim tamen, ſi vere conſcripſit Homerus, eos admodum iuvenem, ſtylo adhuc rudi, & impolito conſcripſiſſe. At enim Iliadem, atque Odyſſeam, in quibus auctor humani ingenii fines praetergreſſus eſſe videtur, quaeque univerſae ſapientiae oceanum iure optimo appellaveris, ab Homero condita eſſe nemo unquam dubitavit. Ad haec igitur, ſtudia noſtra, laboreſque convertimus, haec vobis declarare proponimus, in iis diſſerendo verſa-

ſabimur. Quod ſi rationem, quam in noſtris diſſertationibus adhibituri ſumus, praenoſcere cupitis, auditores, haec erit. Loca quaedam inſigniora ſeligemus, eaque eruditionis copia, quam ingenii noſtri tenuitas ſuppeditabit, illuſtrare, atque exornare ſtudebimus; quae alicuius non vulgaris difficultatis nodo implexa ſunt, extricabimus; antiquorum morum cognitionem trademus, ſine qua aut frigere aut ſordere multa apud Homerum imperitis videantur. Quanta ſit inter Homerum, divinoſque utriuſque teſtamenti libros convenientia planum faciemus, quantamque lucem ſacrae paginae Homero intelligendo afferant, quantamque viciſſim ſacris paginis Homerus, in quo rem gratam tum cunctis auditoribus me facturum confido, tum maxime ſacri ordinis adoleſcentibus, qui iamdiu Graecis litteris ſedulam me praeceptore navant operam; ipſorum ſiquidem eſt divinos libros aſſidua lectione terere, ut deinceps cum tempus poſtulaverit, ſacram doctrinam aliis valeant ediſſerere. Praeterea illud omittere abſque piaculo non poſſe mihi videor, ut Homerum ab eorum criminationibus vindicem, qui partim imperiti, partim ſtulti, partim contumelioſi atque ſuperbi in eum ineptiſſime garrire, & modo culpantes, modo irridentes, ut triobolarem vatem traducere auſi ſunt. Sane in eos nulla alia ferenda eſſet ſententia, quam quae ab Ephoris nempe a Magiſtratu apud Lacedaemonios omnium ſapientiſſimo olim lata eſt in quoſdam Clazomenios

menios iuvenes, qui Spartam profecti Ephoricam ſedem temerario ioco fuligine macularunt. Accipite dignam Ephoris ſententiam *Liceat Clazomeniis indecore agere;* (*Ael.* 2. 15.) nos vero paucis immutatis dicere poſſemus: *Liceat imperitis Homeri obtrectatoribus male dicere*. Quid enim Homero officiant ſtultiſſimi latratus, atque inſanae criminationes? Nihil plane ſummam eius gloriam, atque in tuto poſitam nominis immortalitatem laedere poſſunt, aut obſcurare. Suam ipſorum inſcitiam, ſtultitiam, temeritatem ſolummodo obtrectatores iſti patefaciunt, ſeſeque ſapientium virorum riſui obiiciunt, atque ludibrio. Quid igitur, inquies, Homerus defenſione tua indigeat? Nulla profecto pro ſeipſo defenſione indigeat maior invidia, maior calumniis, maior obtrectationibus Vates ille divinus, ſive potius vatum Deus. Verumtamen, ut apud adoleſcentes ipſius carminum ſtudioſos defendatur maxime opus eſſe arbitramur, auditores, ne forte per aetatem improvidi, hominum qui tanta audacia improbarunt, auctoritate decipiantur, minorique in pretio habentes minus alacriter ad eius ſtudium animum conferant. Haec autem, quae me ea, quam propoſui, ratione in Homerum diſſerentem praeſtiturum polliceor, nemo alius (quod ſciam) huiuſcemodi lucubrationibus ſimul omnia hucuſque praeſtitit. Quapropter argumentum, ut videtis, aggredior, quod rerum magnitudine, utilitate, atque iucunditate, grata inſuper novitate

vitate

vitate omnes vos ad audiendum invitet, alliciat, inflammet; meque, ſi Deo optimo maximo annuente rite exequi poſſim, non prorſus indignum munere, quod mihi eſt iniunctum, oſtendat. Interim vero (quod felix fauſtumque ſit) hanc veſtram frequentiam, optimi auditores, qua mirifice recreamur, veſtramque, quam modo exhibetis, ſingularem humanitatem etiam in poſterum nobis ad futuram ſperamus, idque a vobis enixe petimus atque obſecramus. Maxime vero obſecramus opem tuam, fidem, patrocinium, ampliſſime Moderator. Tuum eſt enim, vir ſapientiſſime, qui literarum patronus, vindex, aſſertor a Magno Regioque Etruriae Duce conſtitutus es, eos qui tum in Florentino, tum in Piſano Lyceo ſapientiam publico iure tradunt, ac profitentur, in tuam fidem accipere, benevolentia complecti, fovere praeſidio. Tuum eſt iacentes doctrinas erigere, & paene intermortuis vitalem quamdam afflare auram. Tuum eſt & auditoribus animos addere, & virtutem prope dixerim infundere, qua in optimam, uberemque doctrinae ſegetem poſſint excreſcere. Non enim ſatis eſt generoſas plantas fecundo ſolo excipi, & ſedulum habere cultorem, niſi Sol ipſe vitali calore accedat, vim indat, & ad fructus edendos promoveat. En plantas vides, cultorem noſti, tu vero Solis officio iam perfungere.

DISSERTATIO II.

De Homerica apud Virgilium, & Taſſum imitatione.

SYNOPSIS.

FOns omnium poëtarum Homerus. Prima Aeneidos pars Odyſſeam exhibet, altera Iliadem. Sinonem, & navale certamen de ſuo confingere aliquibus viſus eſt Virgilius. Eius poëma non apographum, ſed archetypum dicendum. Linguae Latinae ingenio, ſuaeque aetatis moribus indulſit Maro. Scaliger, aliique nonnulli ſtulte Homerum prae Virgilio deſpicatui habent. Virgilius erga Homerum ingratus. Homeri modeſtia ſingularis. Complura loca, quae Taſsus accepit ab Homero. Parcior Homeri imitator Taſſus, Virgilius intemperantior. Taſſus reprehenſus, quod epiſodium omiſerit. Quae utilitas proveniat ſtudioſis ex cognitione Homericae imitationis in poëtis maximis. Horatii praecepta de imitatione. Verſiones ibi non damnantur. Voluptatem etiam affert examen illud Homericae imitationis. Huius voluptatis expers, qui Graecae linguae eſt imperitus. Ad Graecum ſtudium hortamen. Explicatio vocis Stanze, *qua octoſticha poëmatis Etruſci nuncupantur.*

Quam-

Digitized by Google

QUamquam praecedenti ſermone Homericas laudes ad alia properantes ſingulatim percurrere non potuerimus , duas tamen praeterire , antequam ad carminum explanationem deveniamus , nequaquam licere nobis ſumus arbitrati . Prima eſt , quod boni quique poëtae ex eius imitatione profluxerint . Secunda , quod Homerus totius antiquitatis , omniumque doctrinarum ſit parens . Quarum unam explicabimus hodie ; alteram diſputatione , quae proxime ſubſequetur . Utraque enim putamus ſtudioſos iuvenes in Homeri ſtudium vehementer accendi poſſe . Caput igitur Homericarum laudum , quotquot umquam excogitari poſſunt , maximarum illud eſſe arbitror , quod omnes magni nominis vates adeo in eius imitationem incubuerint , ut in animum ſibi inducere viſi ſint , ſe non poſſe celſum aliquem in poëſi gradum tenere , niſi ſe huiuſcemodi imitationis ſtudioſiſſimos exhiberent . Neque ſua illos fallebat opinio ; nam eorum poëtarum carmina , qui ab Homeri imitatione longe abierunt , vel cum tineis luctantur , vel piperi , ſcombriſque devoventur . Cum enim Homerus poſt homines natos ingenium ſine exemplo maximum ſingulari divini Numinis beneficio ſortitus fuerit , atque eo poëta talis extiterit , ut nemo umquam illum ſuperaverit ; ſed aliquis vix ad eum acceſſerit longo proximus intervallo : ſiquis in poëtica facultate non ſub eo praeceptore ſe exerceat , nihil

boni, perfecti, ac laude digni in lucem edat, neceſſe eſt. Quam bene igitur, vereque pronunciavit Ovidius, Homerum eſſe illum:

——— a quo ceu fonte perenni
Vatum Pieriis ora rigantur aquis.

Horatius vero plus laudis tribuendum Latinis vatibus cenſuit, ſi ſuas elucubrationes ex Homerico fonte potius derivarent, quam ſi ipſimet omnino de ſuo novas excogitarent:

——— tuque
Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quam ſi proferres ignota, indictaque primus.

Quapropter non inepte Homerum Siciliae comparari poſſe arbitror. Sicut enim haec fertiliſſima regio eam frumenti copiam ſemper produxit, quae non tantum proprios populos aleret, ſed exteris etiam, & praecipue populo Romano alimenta largiter miniſtraret: ita unus Homerus effuſiſſima ſapientiae ubertate non ſolum ſuis Graecis, ſed reliquis etiam vatibus, maxime vero Romanis, Italiſque affatim alendis ſufficit. Quid de pictore Galatone, ſive malis Palatone, ut putavit Caelius? Is enim teſte Aeliano (*l.13.c.22.*) (ſiquidem

——— pictoribus, atque poëtis
Quidlibet audendi ſemper fuit aequa poteſtas)

ut

ut oſtenderet ex Homero ceteros vates ſive fieri, ſive ali, illum finxit evomentem, alios vero ea, quae ipſe evomuiſſet, haurientes. Volaterranus autem ex Aeliano, parum diligenter inſpecto, ut Ioannes Schefferus obſervavit, meientem, non vomentem Homerum facit. Etſi vero optimos quoſque poëtarum tum Latinorum, tum Etruſcorum multa ex Homero plus minus excerpſiſſe, eiuſque ſtudioſos imitatores extitiſſe liqueat; nihilominus duos tantummodo libet ſeligere in praeſenti diſputatione excutiendos, unum de Latinis, de Etruſcis alterum, Virgilium nempe, atque Taſſum, videreque, quomodo, & quouſque Homerum uterque imitatus ſit, ut hinc bonum fructum in diſputationis exitu pro veſtro in literis progreſſu colligere poſſitis, iuvenes ornatiſſimi. Hos vero duos tantummodo in medium affero, quia ſi plures adducerem, in longius quam par eſt, traheretur oratio, aequumque dicendi modum tranſiliret. Neque miremini, auditores, me maluiſſe ex Etruſcis Taſſum ſeligere, quam Arioſtum; nam quamvis mira rerum varietate amoeniſque diverticulis Arioſtus Homericam poëſim plus exhibuiſſe videatur, quam Taſſus; quaedam tamen accuratior, atque ſubtilior peculiarium rerum Homericarum imitatio apparet in Taſſo, quam in Arioſto. Age vero Virgilii Aeneidem primo loco obſervemus. Anne, quaeſo, a capite ad calcem in illo admirabili poëmate, numquamque ſatis laudato, quidquam aliud quam Homerum Latinus Vates expreſſit?

Nam

Nam in priori parte Odyſſeam exhibuit; in altera Iliadem, in ea ſiquidem Aeneas variis agitur itineribus, erroribuſque, ut Ulyſſes; in hac bella gerit, ut Achilles. Neque ſolum res, quibus poëma ſuum conflaret, ab Homero mutuatus eſt; ſed ſimilitudines paene omnes, & loca bene multa, ubi Latinus ſermo pateretur, αὐτολεξεὶ, verbo tenus reddidit; adeo ut ſi cuncta Homerica ex Aeneide tollantur, vix aliqua pauca, Virgilii propria ſint remanſura. Duo ſane de ſuo penu exprompſiſſe, proprioque excogitata ingenio deſcripſiſſe Virgilium crediderunt nonnulli, Sinonem, & navale certamen. Nam talis hominis nota, qualem in Sinone exprimit, taliſque oratio, qualem veterator ille vaferrimus ad Priamum habet populumque Troianum, apud Homerum non legitur. Nihilominus everſionem Troiae cum Sinone, equo ligneo, ceteriſque omnibus, quae librum ſecundum faciunt, a Piſandro paene ad verbum tranſcripſiſſe Maronem teſtatur Macrobius (*Saturn. l.* 5. *c.* 2.). Navale autem certamen, ubi Aeneam inducit ad tumulum patris Anchiſae ludos in Sicilia celebrantem, addit ille Homericis ludis, quos Achilles celebrat in funere Patrocli. Utrum vero alicunde etiam illud ſumpſerit, ignoro. Fateor tamen tam bene ac ſapienter in Homerica imitatione ſe geſſiſſe Virgilium, ut quamvis opus ex ſolis ferme Homericis compoſuerit; nihilominus non apographum adornaſſe, ſed archetypum nobiliſſimum edidiſſe videatur. Non enim putide Homerum

merum imitatus eſt, ſed qua erat ingenii dexteritate probe conſideravit, quid Latinae linguae indoles reformidaret, quidve libenter admitteret; neque id tantum, ſed & inſtituta ſui aevi ſedulo inſpexit, quae iam multum a moribus Homericorum temporum diſſidebant, iiſque prudenter inſerviit. Quae ſi obſervaſſet Scaliger, non tam indignis modis Homerum peſſum dediſſet, neque paſſim Virgilium temere illi praetuliſſet. Nam quod illius ſententias ſaepe exornavit, omnibuſque lenociniis emollivit, non ideo Homero praeſtantior habendus eſt; nam ſicut ampliorem ornatum amat Latinus ſermo: ita nativo quodam lepore, minimeque fucata ſimplicitate Graeca lingua gaudet. Quod utriuſque linguae diſcrimen quia non viderunt Iulius Caeſar Scaliger, eiuſque partes ſecuti Ioannes Dunaeus, & Carolus Peraultus, aliique nonnulli, ſtultividos Plautino verbo appellare liceat. Sed Scaligerum, eiuſque aſſeclas, peculiari diſputatione mox refutabimus. Summam itaque laudem meretur Homerus, quod poëſim epicam invenerit, & perfecerit, ut affirmat Nepos; eamque ad patrium ſermonem moreſque aetatis ſuae conſultiſſime accommodaverit. Summam ſimiliter laudem meretur Virgilius poetica facultate, & ipſe inſigniſſimus, qui Latinorum primus tantum poëma auſus eſt meditari Homericae imitationis exemplar abſolutiſſimum, ubi quomodo quis poſſit Homericam ſapientiam in rem ſuam cum laude transferre cumulatiſſime commonſtravit. Hac ani-

mi

mi praeparatione uterque legendus ; neque arguendus Homerus, quod ab eo aliquando Virgilius deſciſcere viſus eſt ; uterque enim diverſo reſpectu optime poëſim ſuam inſtruxit . Quare uterque appellandus eſt maximus ; etſi aliquid amplius Homero tribuendum eſt ; quis enim patrem optimum optimo filio non putet praeferendum ? Unum ſane videtur peccaſſe Virgilius, quem Caſaubonus (*ad Strab. l.* 14.) ingratiſſimum arguit, quod nuſquam Homeri meminerit, cui nihil non debebat , cuius bono ſucco, ac ſanguine creverat , cuius opibus tam abunde ſe locupletarat ; nam ſi nomen ſuum in fine Georgicorum appoſuit , nonne occaſionem quampiam arripere poterat , qua ſe gratum Homero exhiberet , eumque ſaltem de nomine commendaret? Atque hic notate obiter modeſtiam Homeri ſingularem , qui non modo ſe magnifice non praedicavit (quod permulti alii poëtae ambitioſe fecerunt) verum etiam nomen ſuum de induſtria occultaſſe videtur . Ceterum loca ſingula, quae ex Homero expreſſit Maro, quibuſque ſuam Aeneidem conſtruxit, toto libro quinto Saturnaliorum collegit Macrobius , ubi diſerte contendit , omne opus Virgilianum de quodam Homerici operis ſpeculo formatum eſſe . Sed iam ad Taſſum gradum faciamus, qui ſexennis perhibetur Latine ſciviſſe , duodennis vero etiam Graece . Quapropter facilis patuit ſibi via ad veterum poëtarum, ac praeſertim Homeri imitationem . Profecto pulcherrimi illius poëmatis,

cui

cui titulum Hieroſolymam liberatam fecit, lectio, quam nuper ſuccifivis horis animi gratia repetivimus, in hanc me impulit diſputationem. Dum enim illud perlegerem, & identidem in complura loca inciderem, quae evidenter ex Homero Torquatus deſcripſit, incredibili voluptate perfundebar, mirabilem artem animadvertens, atque iudicium dexterrimum, quo ſapientiam Homericam imitatus eſt, ſuamque fecit, ſimulque dolebam quod non cuncti ſtudioſi ob linguae Graecae imperitiam idipſum perſentiſcere poſſent, paremque voluptatem experiri. Nonnulla inſigniora ex hiſce locis proferam, quae ex Homerico ditiſſimo penu Taſſus accepit, ad cuius ſimilitudinem pleraſque perſonas certis quibuſdam perpetuiſque notis diſtinctas, quas Graeci dicunt χαρακτῆρας, ſolerter effinxit. Primum omnium conſiderandum vobis propono Godefridum, qui bellica virtute, animi prudentia, oris maieſtate, aliiſque coloribus imaginem Agamemnonis ſupremi, atque inclyti Graecorum ducis quam maxime repraeſentat. Neque vero quod quaedam Agamemnonis vitia a ſuo Godefrido Taſſus repulerit, ab eo emendatum Homerum exiſtimate. Cum enim uterque diverſum ſibi ſcopum praefixiſſet, eo, ut par erat, collimare debuit. Homerus ſiquidem ut homines quales ſunt, ubique depingeret, ſtuduit. Quis autem ignorat ſummos ſaepe viros maximis virtutibus nonnulla vitia admiſcere? Taſſus vero in ſuo Godefrido docuit, qualis eſſe debeat Imperator,

qui Chriſtiano exercitui praeſit, ad promovenda ſanctiſſimae Religionis incrementa belligeranti. Quid de Rainaldo? Nonne ad Achillis typum magna ex parte videtis expreſſum, adoleſcentem & ipſum impigrum, acrem, iracundum, ſtrenuiſſimum, invictum, iura ſibi negantem nata, nihil non armis arrogantem? Atque ut magis Homericae imitationi Taſſus indulgeret, facit illum ob inimicitias cum Godefrido ſuſceptas a caſtris non ſine magno hoſtium emolumento diſcedentem. Nam praeter alia damna, quae Chriſtianus exercitus tunc accepit, illud eſt notatu dignum, quod Clorinda fortiſſima femina animo pluſquam virili ad ingentem illam turrim ligneam validiſſimum ad hoſtium moenia diruenda inſtrumentum, fruſtra reluctantibus, cuſtodibus auſa eſt irrumpere, eique accenſas faces admovere; non ſecus ac Agamemnoni iratus Achilles abſcedit a praelio, Troianis interim Graecos in fugam vertentibus, naveſque ipſas exurentibus. Accedit ad haec, quod quemadmodum reverſo ad bellum Achille, vires, animoſque receperunt Graeci, ac paene revixerunt; ita redeunte Rainaldo Chriſtiana acies ad hoſtium caedem, & victoriam exarſit. Sed etiam clypeus Rainaldi licet res diverſas gerat inſculptas, eodem tamen artificio deſcribitur, quo clypeum Achillis deſcripſit Homerus. Iam vero ſenex Raimundus ipſiſſimus eſt Neſtor, quare ſicuti Agamemnon decem optat Neſtoras, ita & Godefridus decem expetit Raimundos.. Tancredius partim

tim Diomedem, partim Aiacem Telamonium, fortiſſimos ambos refert; Vafrinus explorator Ulyſſem, Argantes Hectorem, alii alios. Neque ſolum Argantis provocatio, qua ad ſingulare certamen Chriſtianos heroas laceſſit, Homericam habet imitationem, ſed etiam leges, ritus, & foedera, quibus illud ſuſcipitur. Quinimmo Oradinus, qui a Daemone ſub Clorindae imagine inſtigatus telo in Raimundum cum Argante viritim decertantem emiſſo foedifragus eſt, Pandarum exprimit, qui pariter impulſus a Pallade quae Laodoci Antenoridae formam ſumpſerat, violatis foederibus in Menelaum cum Paride manus conſerentem ſagittam eiaculatur. Angelus cuſtos Raimundum in eo duello tutaturus arma induit e coeleſti armamentario accepta ad eum plane modum, quo ſe inſtruit Pallas armis parentis Iovis ſuppetias latura Diomedi. Locum de Erminia, quae Regi Hieroſolymae defloccato ſeni duces Chriſtianos e celſa turri digito commonſtrat, illinc deſumptum liquido conſtat; ubi Helena ſimiliter e turri Priamo ſenectute confecto Graecos duces bene ſibi notos oſtendit. Iupiter apud Homerum mittit Iridem, ut a bello Iunonem, & Minervam a Graecis ſtantes deterreat: apud Taſſum vero Deus mittit Michaëlem, qui Tartareis ſpiritibus imperet, ut a bello diſcedant, & pro Ethnicis facere deſiſtant. Mitto Armidam, in cuius feminae multiplici narratione multa loca Homerica de Helena, de Calypſone, de Circe, de Sirenibus,

de hortis Alcinoi, de ceſto, ſive baltheo Veneris, ſimul congeſſit, & ingenioſiſſime concinnavit. Mitto varias, ac diverſas hinc atque illinc in conflictibus factas caedes, ad Homericae poëſeos faciem a Torquato deſcriptas. Mitto plurimas ſimilitudines, figuras, ſententias, conciones, & ſexcenta id genus alia Homerum paſſim redolentia, quae ſi expenderem ſingula, ad multas horas vos detinerem, auditores, nimiſque patientia veſtra dicendo abuterer. Ea autem omnia in unum libellum aliquando excerpere, atque ſub unum conſpectum dare, ſi tempus ſuppetat, animus eſt; nam etſi multa in ſuis ad Taſſum ſcholiis Scipio Gentilius, & Iulius Guaſtavinus adnotarint, adhuc tamen plura ſuperſunt, quae ipſi omiſerunt. Videtis iam, optimi iuvenes, quam inſigniter ſtudioſi Homericae imitationis fuerint Virgilius, atque Taſſus, quod vobis oſtendere propoſuimus, quantumque eorum poëmata Homerico, ut ita dicam, animata ſpiritu emicent. Parciorem tamen in ea imitatione conſtat fuiſſe Taſſum, intemperantiorem Virgilium. Hoc autem ex eo eveniſſe crediderim, quod Taſſus argumentum plane novum pertractandum ſuſcepit; at Virgilius argumentum ſuum ex Homero penitus elicuit, aut potius eius poëmata continuavit, ſive etiam recoxit. In eo reprehendendus pleriſque cenſorum viſus eſt Taſſus, quod inſtar Homeri epiſodium geſtarum rerum a Chriſtianorum acie toto quinquennio ante Hieroſolymam expugnatam ſuo poëmati non aſſuerit, in qua parte me-

meliorem quidem imitatorem ſe praeſtitit Virgilius. Sed iamdudum ex me diſcere expectatis, quem tandem fructum haec imitationis Homericae cognitio, atque obſervatio vobis ſit paritura. Equidem fore puto, adoleſcentes, ut ſi poſſitis per vos ipſos ea loca conſiderare, quae tum Virgilius, tum Taſſus, tum alii poëtae eximii ex Homero imitati ſunt, & quomodo imitati ſunt perpendere, facile diſcatis in eadem imitatione voſmetipſos exercere, laudemque & ipſi optimorum ſcriptorum adipiſci. Tunc enim probe videbitis quam bene Horatii praecepta de imitatione ſint ab ipſis ad uſum revocata, eorumque exemplo edocti ad conſimilia elaboranda imitamenta accingemini. Inquit enim Horatius in arte:

Publica materies privati iuris erit, ſi
Nec circa vilem patulumque moraberis orbem,
Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres, nec deſilies imitator in arctum,
Unde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex.

Notandum tamen, dum ait Horatius *Nec verbum verbo curabis reddere fidus interpres*, non interpretis partes ab eo damnari (quod falſo aliqui putarunt) ſiquis ex una lingua in aliam transferre velit laudatiſſimos ſcriptores, ſed nimis ſervilem interpretationem, quae ſaepius, quam par eſt, verba potius, quam ſententiam inconcinne perſequitur. Neque ſolum multam utilitatem examen illud vobis allaturum polliceor,

BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO EM.

ceor, ſed voluptatem quoque tantam, quantam ſane animo non concipitis. Quid enim dulcius, atque iucundius ſtudioſo homini, quam αὐτοψία, ſuis ipſius oculis cognoſcere qua ratione, & arte quae ſunt alterius, ſui fecerint iuris ii, qui primas obtinent ſive in Latina, ſive in Etruſca poëſi? Fruſtra autem ſperet huius fieri compos utilitatis, atque voluptatis, qui Graecarum literarum ſit imperitus, ac proinde in Graeco fonte Homerum legere nequeat; cumque illo Virgilium, & Taſſum alioſque maximos poëtas componere. Homerus namque in alias linguas converſus utpote balbutiens non valde allicit; quamobrem vel non legitur, vel in eius intimam cognitionem non pervaditur. Sane nullam non arripientes occaſionem magnis ex hoc loco impulſibus urgemus perſaepe ſtudioſam iuventutem, ut Graecae linguae navet operam, ſed parum promovemus. Panico enim, quem vocant, difficultatis terrore praepediti vel ii qui acutiori ingenio ſunt, non audent ſe in hoc ſtudium dare; quem terrorem etſi bonis rationibus ex animis adoleſcentium expellere toties conati ſumus, adhuc tamen noſtrorum iuvenum mentibus neſcio quo malo Italorum fato haeret; ex quo fit, ut in hoc certe a Tranſalpinis ſuperemur, adeoque ab ipſis probroſe contemnamur, quod plerique Graecae ſumus imperiti, cum apud eos vix ſtudioſum aliquem unum reperire ſit, qui ſi non plene, ſaltem mediocriter Graeca lingua non ſit imbutus. Parcite, ado-

adoleſcentes, ſi eodem ſaepe revolvor; neque enim id facio, quo frequentiam diſcipulorum mihi comparem; multum enim mihi taedii devorandum eamdem crambem repetenti, eadem ſcilicet Graecae linguae rudimenta ſexcenties (ac ſaepe nullo fructu) tradenti. Sed iccirco hoc eodem hortamine vos frequenter extimulo, quod talem velim a vobis teneri in literis gradum, qui a vulgo vos ſecernat. Illum autem vos conſecuturos incaſſum ſperatis, niſi Graecarum literarum ſubſidium aſſumatis. Cuius rei argumentum certiſſimum illud eſt, quod ii omnes, qui verae ſolidaeque ſapientiae conquirendae rationes tradiderunt, ad nihil frequentius provocant, quam ad Graecum ſtudium, Homerumque doctrinarum omnium, atque elegantiarum, necnon totius eloquentiae fontem beatiſſimum. Sed de hoc in praeſentia ſatis. Pro diſputationis coronide, in qua plura de Taſſi poëmate diſſervimus, explicationem accipite vocis Etruſcae *Stanze*; ſic enim octoſticha nuncupantur, quibus poëma componitur. Facem mihi praetulit, ut eam eruerem, Graecus quidam Eccleſiaſticus hymnus, qui *οἶκος*, ideſt *domus* inſcribitur; quod ſcilicet in eo ſacra illa poëſis comprehendatur, ac veluti degat; ſic igitur, & octoſticha Etruſca nuncupata eſſe cenſeo *Stanze*, quod in iis in quibuſdam diſtinctis quaſi cubiculis poëtae ſententiae concludantur, & habitent, ex quibus integrum poëmatis aedificium extruitur.

DIS-

DISSERTATIO III.

De Homero totius antiquitatis, omniumque doctrinarum parente.

S Y N O P S I S.

ANtiquitas omnis in Homero reſidet. Antiquitatis ſtudium iucundum ſimul, & ad literaturam neceſſarium. Homerus non ſolum totius antiquitatis, ſed & omnium doctrinarum theſaurus; videlicet Poëtices, Rhetorices, Philoſophiae tum naturalis, tum moralis, Medicinae, Iuriſprudentiae; vitae civilis, militaris, agricolaris; Theologiae, Geographiae, Aſtronomiae. Omnes omnis aevi ſcriptores Homerum ſummis laudibus extulerunt. Alcibiades colaphum impegit cuidam ludimagiſtro, qui Homero ſe carere dixit. Cohortatio ad aſſiduam Homeri lectionem, & Graecae linguae ſtudium. Graeca lingua Helenae comparata. Nemo Graecae linguae imperitus ad Homeri lectionem accedat. Tota Ilias in membrana, quam nucis teſta caperet, deſcripta. Glandula pinealis Carteſii.

NOn poterat quidem ſenem illum Alitherſen, celeberrimum antiqui temporis augurem, plenius atque exquiſitius commendare noſter Homerus (*Odyſſ.* 2.) quam peritum rerum antiquarum, aliarumque per-

Digitized by Google

permultarum celebrando. Breviculum ſane encomium, ſed magnae ſignificationis verbis expreſſum.

——————— παλαιά τε, πολλά τε εἰδώς.

Qui res antiquas animo multaſque tenebat.

Liceatne encomio iſto, quo alterum extulit, ipſummet Homerum efferre, atque ſuis ipſius laudibus exornare? Qui etenim res antiquas paene omnes, aliaſque innumeras animo complexus ſit, literarumque monumentis tradiderit, is plane Homerus eſt. Quandoquidem igitur noſtrum fert inſtitutum, ornatiſſimi adoleſcentes, ut aliquem Homeri locum, quemadmodum pollicitus ſum, meis diſputationibus vobis plerumque adducam, & ad veſtram eruditionem dicendo illuſtrem, placuit hunc ipſum, quem modo attulimus, hodierni ſermonis argumentum facere, ut duas ſimul res uno opere exequar, & meum ſcilicet inſtitutum teneam, & vos ad eius lectionem atque ſtudium admota veluti face inflammem; quod certe praeviis hiſce diſputationibus congruere videtur, quod veluti fundamentum ceteris extruendis ſubſterno. Quamquam vero multis nominibus Homerum vobis laudaverim, numquam tamen eius laudes deeſſe poſſunt millies etiam hoc conanti. Ceterum laudem hanc, quam illi hodie tribuo, maxime omnium aliarum Homero peculiarem puto, quod ubi meam orationem acceperitis, vos ipſos ſcio fore una me-

mecum affirmaturos. Adeſte igitur aequo animo; & perpurgatis auribus operam mihi dicenti date. Date mihi benignitate veſtra (Terentiano verbo utar) creſcendi copiam, dum novarum ipſe diſputationum copiam vobis paro.

Antiquiorem Homero ſcriptorem extitiſſe nullum, cuius ad nos ſcripta devenerint, priore diſputatione docuimus, adeo ut ſi Moyſem excipias, paucoſque alios cum ipſo coniunctos, antiquiſſimus ſit ſcriptorum quorumcumque. Nam & Heſiodum (licet & ipſe antiquiſſimi temporis poëta fuerit) quinquaginta tamen annis, plus minus, poſt Homerum vixiſſe doctiores opinantur. Quare Salmaſio comptior, & rotundior Homero viſus eſt; Homerus autem maiorem ſimplicitatem redolere. Pace doctiſſimi viri dixerim, magna in utroque ſimplicitas, nec minor elegantia. Sed ad propoſitum redeamus. In Homero antiquitas omnis reſidet; ex eo diſcendum qui Dii veterum Graecorum fuerint; quae Deorum fabulae antiquitus crederentur; quod Deorum ſingulorum officium; quae Deorum ſimulacra effinxerint antiqui; quae loca haberentur ſacra; qui ſacri Deorum miniſtri; quae luſtrationes, quae preces, quae vota, quae libamenta, ſuffitus, molae. In Homero victimas deſcriptas reperies, ſacrificandi ritum, donaria, cultum mortuorum heroum, atque adeo omnium inferorum, religionem funerandi, cadaverum combuſtionem, ac ſepulturam, divinationes, magicas artes. Si vero de imperii ſtatu priſcorum temporum, de

regia

regia poteſtate & officio, regum inſignibus, regiis miniſtris, concionibus, iudiciis, venditionibus, emptionibuſque edoceri cupitis, ad Homerum vobis eſt confugiendum. Homerus vobis dux ad cognoſcendas veteres nuptiarum leges, ritus conviviorum, liberorum educationem, indumenta capitis, pedum, totiuſque corporis; comae ornatum, lavationes, unctiones, & hoſpitum excipiendorum ſacerrima iura. Antiquae vero muſices, ſaltationis, muliebrium exercitiorum, venationis, ludorum nullus melior atque elegantior Homero enarrator. Quid de bello? Unde plenius ac verius diſcas, quam ex Homero, quomodo inſtruerentur acies, quae viguerit apud veteres militaris diſciplina, quae fuerit materies, ac forma armorum; quomodo urbes obſidionibus vallarentur, equi alerentur, pugnae exercerentur, pax ac foedera firmarentur, naves compingerentur, ac regerentur? Neque te mendaciter falli ab eo credideris; nam etſi fabellas multas habeat de Diis (non quidem a ſe excogitatas, ſed a vulgo acceptas, verſibuſque ſuis feſtive deſcriptas atque exornatas, ut ſuo loco demonſtrabimus) in ceteris tamen pleriſque fide digniſſimus habendus eſt; nam cum Moyſe optime congruit in moribus priſcorum illorum temporum exponendis, ita ut & intelligendis Moyſis libris valde utilis ſit, ac paene neceſſarius Homerus, & Homero intelligendo divinus Moyſis Codex plurimum conferat. Et revera doctiores divinarum Paginarum interpretes, ac praeſertim

eruditiſſimus Calmetius, paſſim ad Homerum provocant, virique iſti φιλαρχαῖοι, qui res antiquas rimantur, atque perſcrutantur, ad Homerum omnes confugiunt: ut exinde tamquam ex fonte doctrinam hauriant ad antiquitates quaſcumque explicandas idoneam; ad cuius rei veritatem confirmandam ſatis eſt huiuſcemodi libros de antiquis rebus pertractantes vel negligenter evolvere. Quod ſi antiquitatis ſtudium adeo delectat, ut ferme alia omnia ſuperet, quemadmodum doctiſſimus Spanhemius oſtendit; ſi adeo requiſitum, ut ſine eo literati nomen conſequi nemo poſſe videatur: nonne validiſſima hac ratione fretus ad Homerum legendum iure optimo vos exſtimulem, ut pabulo iucundiſſimo ſimul, & maxime ad eruditionem neceſſario voſmetipſos enutriatis? Sed & alia non levioris momenti ratio vos impellit, adoleſcentes, ut Homero operam detis, quod nempe non ſolum totius antiquitatis theſaurus eſt, ſed totius doctrinae, rerumque infinitarum ſemina, ac paene omnium apud illum habeantur. Eſt ſiquidem παλαιάτε, πολλάτε εἰδώς. Quamobrem cunctarum rerum apprime peritum bene vocavit Apuleius (*in Apolog.*) Nihil enim, ſi attente legas, in Homero deſideres. Quod namque ad poëſin attinet, poëta eſt ſine exemplo maximus, qui magnitudine operum, & fulgore carminum ſolus meruit appellari poëta, utque Cicero in Topicis ait, propter excellentiam commune poëtarum nomen effecit ſuum. Quantum autem in civili faculta-

te,

te , quam Rhetoricen appellant , ſive eloquentiam , excelluerit noſter poëta , non alio magis, quam Quinctiliani teſtimonio declaratum velim in decimo Oratoriarum Inſtitutionum libro ; cuius haec verba ſunt : *Igitur ut Aratus ab Iove incipiendum putat , nos ita rite coepturi ab Homero videmur ; hic enim quemadmodum ex Oceano dicit amnium vim , fontiumque curſus initium capere , omnibus eloquentiae partibus initium & ortum dedit . Hunc nemo in magnis rebus ſublimitate , in parvis proprietate ſuperavit ; idem laetus ac depreſſus ; iucundus & gravis ; cum copia , & brevitate mirabilis ; nec poëtica modo ſed oratoria virtute eminentiſſimus* . Hactenus Fabius . Quid dicam de philoſophia , in qua nulla eſt ferme nobilior poſteriorum ſententia , aut opinio celebrata , cuius non in poëta Homero originem agnoſcamus ? Quod exemplis bene multis comprobavit Plutarchus in eius vita , & ex eo Politianus (*in praef. in Hom.*) . Nec ſolum eam philoſophiae partem intelligo , quae de naturae rebus eſt , ſed illam etiam , quae ad mores pertinet , in qua adeo perfectus apparet , ut magnus ille Baſilius non dubitaverit eius poëſim appellare perpetuam virtutis commendationem . Horatius vero de eo dixerit (*l. 1. ep. 2.*) , quod

*— quid ſit pulcrum , quid turpe , quid utile , quid non
Plenius , ac melius Chryſippo , & Crantore dicit .*

Neque ulla medicinae pars , cuius non hic au-

auctor aliquando meminerit, facemque medicinae profeſſoribus, atque magiſtris praetulerit. Sed & legumlatores omnes ex eo exempla petierunt, ut optimas leges conderent, praeſertim vero Lycurgus Spartanis, Solon Athenienſibus. Civilis, militaris, agricolaris vitae exempla pulcherrima, & ad humanae ſocietatis utilitatem accommodata clypeus ille Achillis a Vulcano ingenioſiſſime fabrefactus, & *tota caelatus imagine mundi*, ut cecinit Ovidius, tibi offert quammaxime. Iam de theologia, quae apud Homerum eſt, multis catenatis diſputationibus aliquando differere meditamur, & ubi ſordere, atque impius eſſe videtur extimo cortice tot fabularum, indigna atque turpia Diis affingens facinora, non quidem ex ſua, ſed vulgi opinione, poëtam ſive phyſicum, ſive moralem ibi habendum eſſe demonſtrabimus, multa ſcilicet ſive ad naturae opera, ſive ad mores hominum ſpectantia ſub ſpecioſis illis Deorum fabulis docentem, alibi vero luculentiſſime theologum ſe praeſtitiſſe ſive ſub allegoriis, ſive etiam aperte, evidenterque de divinitate ipſa, diviniſque attributionibus cum dignitate differentem; ubi multa ex divina Hebraeorum doctrina in ſua carmina tranſtuliſſe vel caeco clarum ſit. Quid plura? Doctrinae etiam, quam geographicam, & aſtronomicam appellant peritiſſimum ubique ſe praebet, & vel de Americae incolis praeſenſiſſe nonnihil aliquibus viſus eſt. Quid mirum igitur, ſi cum talis, tantuſque Homerus ſit, ii, qui totum legendo bene olfe-

Digitized by Google

olfecerunt, eum vel centies relegant, ac paene conterant? Quid mirum ſi nullus ſcriptor eſt, qui ab omni aetate ſummas ei laudes non tribuerit? Quid mirum ſi Alcibiades ludimagiſtro illi colaphum impegerit, qui coram ſe Homero carere dixerit? Quo facto id certe innuere voluit dux ille ſagaciſſimus, vix aliquid boni vel ſcire vel docere alios poſſe, qui Homerum non perlegat, manibuſque ſemper evolvat. Nonne igitur ut Graeca ſapientia vos imbuerem, optimi iuvenes, bono afflante Numine, poëtam hunc ex hoc loco vobis explanandum ſuſcepi, numquam areſcentem, ſed ſelectiſſima omnigenaque doctrina ſemper florentem, qualem Lucretius ille poëta & philoſophus longe maximus carminibus ſuis concelebravit? Nonne ſi vos ad eius ſtudium aſſidue extimulem, bene ac ſapienter facio, cum per eum tantos in literis progreſſus facere poſſitis, tamque multam ſolidamque eruditionem vobis comparare? Mihi igitur auſcultate, vobiſque in animum inducite, ornatiſſimi adoleſcentes, haud decorum facinus veſtris ingeniis facere, niſi Graecarum literarum ſtudium Homerique lectionem aſſiduam vobis eruditionis cupidis maxime neceſſariam exiſtimatis. Quapropter Graeco ſtudio agglutinaminor, Graecamque linguam omni conatu vobis expetendam exiſtimate. Seriam Graecis literis ac maxime Homero navate operam, ne teſſeram per ignaviam confringite, neve committite, ut ego miſer vos docendo imbrem in cribrum ingeram. Deſinite aliquando

hunc

hunc ſocordiae praetexere colorem, videlicet ſtudii huiuſce moroſitatem. Haec enim, ut ſaepius praedicavimus, tanta neutiquam eſt, quantam animo concipitis. At maxima eſto; nihilominus tanta Graecae linguae pulcritudine, dulcedine, nobilitate, opulentia illectis vel decennalis labor pro ea comparanda libentiſſime vobis eſſet devorandus. Cum Helenam feminarum pulcherrimam Troiani ſenes intuerentur, exclamabant obſtupeſcentes (*Il. l.* 2.)

> Οὐ νέμεσις Τρῶας τε, ϗ εὐκνήμιδας Ἀχαιοὺς,
> Τοιῇ δ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν.

Quos verſiculos ita ſumus interpretati

> *Culpandi haud Troës, fortes & crura Pelaſgi,*
> *Femina ſi ciet ad longos tam pulcra labores.*

Iam vero docui, adoleſcentes, venuſtatem incredibilem, opeſque ſuas ampliſſimas in nullo melius auctore explicare, atque oſtentare Graecam linguam, quam in Homero. Eam igitur pertinaci ſtudio vobis adſciſcite, ut Homerum in ſuo fonte poſſitis deguſtare, eiuſque caeleſtiſſimis carminibus abſque ulla ſatietate expleri. Plato in Alcibiade imperitos ad Homeri lectionem accedere vetuit. Sinite ut meo iure Platonis dictum interpreter. Imperitos ego dixerim non ſolum eruditionis expertes, ut reputat Plato, ſed & eos maxime qui Graece neſciunt, cum Graeci ſer-

ſermonis cognitio legendo Homero neceſſaria omnino eſſe videtur. Nam ſiquis ad Homerum in verſionibus aliarum linguarum legendum accedat, numquam poterit probe intelligere, & quanti eſt, digne aeſtimare; quare, ut ei frigeat ſordeatque, neceſſe erit. Lippis notum atque tonſoribus, quod de membrana illa paene ſupra fidem perhibetur, in qua ſubtiliſſime tota Ilias deſcripta erat, quam nucis teſta caperet. Sive fabuloſum id eſt, ſive hiſtoricum, in vobis ipſis probe exequi poteſtis, optimi iuvenes. Mirifica glandula illa *pinealis* philoſophis dicta, in qua vim animi noſtri reſidere atque vigere Carteſius arbitratus eſt, nucis eius inſtar ſit, quae non ſolam Iliadem, ſed & Odyſſeam Graecae linguae ſtudio, atque beneficio capiat; ſapientiam nempe, qua utrumque poëma uberrime exundat. Quod ſi faciatis, plane mecum deinde confitebimini Homerum & totius antiquitatis, omniumque doctrinarum eſſe parentem, atque adeo optime ipſi quadrare encomium illud, quod de ſuo penu illi iam uſque a diſputationis exordio attribuimus, quod ſcilicet fuerit παλαιάτε, πολλάτε εἰδώς.

DISSERTATIO IV.

De Iulii Caeſaris Scaligeri in Homerum cenſura.

S Y N O P S I S.

Quam ſit Scaligeri iudicium audax, & Homero iniurioſum. Scaligeri doctrina atque eruditio multis teſtimoniis comprobata. Nimium ſibi tribuebat. Contumeliae, quas in Eraſmum fudit, ingenuo viro prorſus indignae. Ex ambitione, Homeri hoſtis eſſe voluit. Poëſeos Graecorum ex filii teſtimonio parum fuit peritus. Virgilius ab Homero in multis prudenter deſcivit, ut ſui temporis moribus Latinaeque linguae ingenio ſe accommodaret. Quamvis doctis viris bene ſapit Virgilius, melius tamen ſapit Homerus. Quam inſolens in elegantiſſimos, atque maximos poëtas etiam Latinos Scaliger fuerit. Tres praecipue Homeri Cenſores iniuſti. Qualis Critice commendanda, qualis reſpuenda.

Quo praeclarior de alicuius doctrina, atque ingenio vulgo circumfertur opinio, eo plus eius iudicio deferre ſolemus, ubi ſententiam ſuam de aliorum ſcriptis libere profert. Quapropter nil equidem miror, ſi nonnullis Homeri exiſtimationem deminuerit Iulii Caeſaris Scaligeri doctrinae fama cele-

Digitized by Google

celeberrimi iudicium, quo eum Virgilio longe inferiorem audacter pronunciavit, & tantum non poëticum ſertum capiti eius detraxit. Quale enim iudicium, Dii boni! Homero iniquius, eiuſque carminibus iniurioſius ferri unquam potuit? Ait enim tantum Virgilium Homero praeſtare, quantum mulierculae plebeiae nobilis praeſtat matrona; & quidquid in Homero liberum eſt, atque laxum, ſcite contrahi a Virgilio; quae enim a natura propoſita ſunt Homero argumenta, quaſi dictata diſcipulo emendata eſſe a Virgilio tamquam magiſtro, nullumque fere dicterium, cavillationem nullam miſſam facit, qua maximum poëtarum omnium patrem, regemque paſſim proſcindat, & fere deridendum propinet, quod plane in quinquaginta novem columnis eiuſce libri peragit, cui nomen Criticus, in quibus utriuſque vatis loca inter ſe comparat, ut Virgilium ubique praeferat, Homerum ubique peſſundet. Quamobrem, ne Scaligeri auctoritas vobis imponat, & glaucoma ob oculos obiiciat, peculiari hac diſſertatione, quod tulit de Homero iudicium apud vos expendere decrevi, ornatiſſimi iuvenes, ut nimirum vobiſcum reputetis amplectendumne illud vobis ſit, an potius reſpuendum. Neque vero exiſtimetis me nimium mihi tribuere, qui tanti nominis virum, quanti plane Scaliger eſt, arguam, atque refutem. Quandoquidem enim diſputationibus hiiſce meis Homeri carmina vobis ediſſerenda, illuſtranda, atque propugnanda pro mei mune-

ris inſtituto ſuſcepi, neceſſitate paene compellor, ut magnum hoc offendiculum de medio tollam, ne forte aliquis veſtrum ab Homeri lectione, ſtudio, atque amore ſive retardetur, ſive repellatur. Et primum quidem ut cognoſcatis, me non iniquum eſſe doctrinae, atque ingenii Iulii Caeſaris Scaligeri aeſtimatorem, fateor virum fuiſſe tanto ingenio praeditum, tantaque doctrina, ut cum Voſſio (*Inſtit. l. 1. cap. 3.*) naturae quaſi miraculum auſim appellare; & acutius, aut capacius ingenium inter homines vix fuiſſe ab illo ipſo Iuliano aevo cum Lipſio ſentiam (*de recta pronunc. Ling. Lat. c. 7.*) Cum aliis vero ſtolidos eſſe putem, ac vervecum in patria natos, qui divinum virum Caeſarem Scaligerum non admirentur. Quamvis enim iuvenilis aetatis partem in armis abſumpſerit, ſeriuſque literarum ſtudiis ſe dediderit; nihilominus tum ingenii praeſtantia, tum aſſiduo labore id conſequutus eſt, ut praeter Philoſophiae, & Medicinae non vulgarem peritiam, quam ſibi paravit, in omnigena eruditione maximus fieret. Nihilominus notius eſt, quam ut verbis exponi indigeat, nimium ſibi tribuiſſe, vana ſui opinione facile inflari conſueſſe, nulli maximorum ſcriptorum pepeciſſe, maledictorum ſuorum iaculis vel ſumma totius literariae reipublicae culmina impetere glorioſum ſibi putaſſe, quod eruditorum pleriſque probatur, improbaſſe, contraque quod pleriſque improbatur probaſſe, ſe ſolum circumſpexiſſe, ceteros ſuperbiendo deſpe-

xiſſe,

xiſſe, ſe ſolum doctrinarum omnium atque elegantiarum arbitrum, coryphaeum, apicem quaſi conſtituiſſe, ſe ſolum videntem procaci faſtu iactitaſſe, ceteros autem omnes vel caecos, vel luſcitioſos habuiſſe, tamquam furioſum gladio, eruditione, atque ingenio abuſum eſſe, ſus deque omnia permiſcuiſſe, nihilque tam ſeculorum omnium iudicio comprobatum ipſi fuiſſe, quin, ſi prava lubido inceſſebat, vellicaret, deriderent, contemneret, reprobaret. Habetis iam, optimi auditores, veris coloribus expreſſam Scaligeri imaginem, atque indolem. Maximus itaque ingenio fuit Scaliger, maximus itidem arrogantia, atque faſtu. Quas enim ſcripſit literarias exercitationes, non tam eruendae veritatis ſtudio protulit, quam ut effreni deſiderio ſuo ſatisfaceret, cum iis, quibuſcum vellet, congrediendi quos vel antiquis temporibus, vel ſuis literarum, eruditioniſque principes haberi cognoverat. Quamobrem de eo affirmare non dubitamus, quod dum ſe philoſophiae pallio continuit, recte, & decentiſſime; cum vero imperatoris literarum paludamentum induit, futiliter, & vane omnia fere locutus ſit. Quod vero non ex veritate, ſed ex turbulenta animi concitatione, rabie, ambitione, qua ſe tranſverſum agi ſinebat, iudicium ferret, ſatis argumento eſſe poſſint contumeliae, quas in Eraſmum, virum opinione omnium longe doctiſſimum, intemperanter fudit, quae huiuſmodi ſunt, ut vel leviſſimos halecum venditores, atque baiulos dedeceant, & rubore ſuffundant.

dant. Piget de docto viro haec dicere debuiſſe, ſed huc me neceſſitas quaedam adegit, ut planum vobis facerem, mirum non eſſe, quandoquidem ſui impotentem ambitio faciebat, ſi Homero hoſtis eſſe voluerit; putavit enim maximam ſibi gloriae acceſſionem fore, ſi quem ſecula omnia communi conſenſione demirata eſſent, ipſe impeteret, parvi faceret, ſperneret; & in quem ceteri omnes tamquam in caeleſtiſſimum ſapientiae verticem inſpicerent, in eum ſagittas ſuas ipſe intorqueret, & ubilibet cenſoria virga fodicaret. Equidem puto ad eius refutandas criminationes id unum ſatis eſſe poſſe, ſi videlicet animadvertatis peſſimis ab eo modis vatem illum peſſundari, quem omnium ſeculorum eruditiſſimi quique totius poëſeos, ac ſapientiae principem unanimi conſenſione venerati ſunt, atque exoſculati, quandoquidem *nemo omnes*, ut aiebat Plinius, *omnes neminem fefellerunt*; quapropter ſi ſummam Homero laudem omnes nullo non tempore tribuerunt; quid eius apud vos, optimi iuvenes, exiſtimationi Scaliger detrahat vituperando, conviciando, maledicendo? Filius eius Ioſephus docto patre doctior, iniquam patris ſui in Homerum criminationem plane ſentiens, ut eum aliquatenus excuſaret eo confugit, ut non ſatis peritum Graecorum poëſeos diceret. (*Scaligeriana* 2.) Si namque Iulius Caeſar poëſim Graecam probe intellexiſſe, eiuſque indolem, atque ingenium aſſecutus eſſe dicatur, pro eo quod Homerum contemneret, maximis

ximis ad caelum uſque laudibus extuliſſet, & candidiſſimam Homericorum carminum ſimplicitatem cum nobiliſſima maieſtate coniunctam numquam demirari deſiviſſet, quod ſi non feciſſet, malignitatis erat inſimulandus. Maluit itaque filius patris imperitiam, quam malignitatem in medium afferre. Haud equidem inficior, Virgilium Homeri perpetuum imitatorem non paucis in locis a magiſtri exemplis deſciviſſe; ſed hoc exigere ſui aevi mores viſi ſunt ab Homerici aevi moribus longe diſcrepantes. Romanorum luxus Virgiliano tempore eo aſcenderat, ut ſupremum attigerit gradum, propterea quod Romae imperium, ut Livii verbo utar, magnitudine iam laboraret ſua (*l.* 1.). Quare etſi optime poëſim ſuam concinnavit Homerus congruentem ſcilicet & Graeci ſermonis fluiditati, ſuique aevi moribus; prudenter tamen egit Virgilius, ut Romanis ſuis placeret, effuſiſſimae illi magnificentiae carmina ſua accommodando, linguaeque Latinae indoli obſequendo; nihilominus probe intelligo, eos, qui nihil, aut leviter Graecae poëſeos venuſtatem noverunt, niſi opportune admoneantur, facile Scaligerum fore decepturum in praedictis novem, & quinquaginta ſui Critici columnis, in quibus utriuſque loca conferens Homeri ſcilicet, atque Virgilii, ubique illum deprimit, hunc extollit, cum tamen peritis fucum facturus neutiquam ſit, quibus ſi bene ſapit Virgilius, multo adhuc melius ſapiet ſemper Homerus. Cavete igitur, optimi adoleſcen-

ſcentes, ne Scaligeri auctoritas vos ſeducat, neve eius dicteria in Homerum prolata, ab elegantiſſimi vatis lectione, atque admiratione divellant. Paſſim enim, ubi prae Virgilio Homerum floccipendit, exclamare ſolet indigne, *ridiculum eſt*, *fatuum eſt*, *Virgilianum non eſt*, *Graeculum eſt*, *Romanum non eſt*. Verum, o bone, quomodo quae in Homero carpis, Graeca eſſe non poſſint, Romana eſſe poſſint? Quid v. g. Graecum vatem immodice reprehendis, quod Ulyſſem gloriantem facit ſeſe & ligna ſecare, & ignem accendere, & ſciſſoris optime fungi ſcire miniſterio, cum ea tempeſtate nihil huiuſmodi regibus eſſet indecorum, & haec, prout eſt uſus, & conſuetudo, vel turpia, vel honeſta habeantur? Ante Romanos Reges in regia fortuna nihil ſuperbum fuit, aut valde magnificum, adeo ut reges coenam ſibi ipſis procurarent; qua de cauſſa in Iliade Achilles, & Patroclus hoſpitibus miniſtrantes inducuntur: & in Odyſſea ad cyathos Menelai filius Megapenthes ſtatuitur. Nauſicaa vero Alcinoi Regis Phaeacum filia, ut veſtes lavaret, ex urbe cum ancillis ad flumen egreditur. Profecto non iuſta de cauſſa propter haec indignaris Homero. Quemadmodum ſi Moyſem ceteroſque veteris foederis divinos Scriptores reiicias, quod praeſtantiſſimorum earum aetatum virorum ſimplices, facileſque mores, quales tunc vigebant, aurea, nativaque dictione linguae ſuae & ipſi pariter enarraverint, neque iis conſequutorum temporum

rum

rum perditiſſimum luxum, qui nondum eruperat, affinxerint. Antequam Graeculum circulatorem per ſummam iniuriam Homerum vocares, Virgilium vero regiae orationis auctorem, illud etiam ſolerter perpendere debuiſſes, multa eſſe, quae in Graeco ſermone elegantiſſime efferantur, quae niſi aliter Latinus ſermo enunciet (quandoquidem Latinus ſermo Graeco auſterior eſt, aſperior, atque perplexior) plane ſordeſcant, neque parum Latinas aures offendant. Suus cuique linguae lepos eſt, proprietas, atque elegantia; quaeque unius linguae veneres ſunt, in alia ſaepe merae ſordes habentur atque putamina. Sed magis, magiſque Scaligeri petulantiam, atque incredibilem audaciam agnoſcere eſt, auditores, in altero libro, quem Hypercriticum inſcripſit, ubi primi ordinis auctores Latinos, quorum fama in tuto reſidere videbatur, tamquam magiſter diſcipulos caſtigare, atque emendare, temere auſus eſt. Nonne enim pro multis Ovidii, ut ipſe blaterat, non bonis proponit ſua meliora, & ſcitiora, & tamquam male tornatos eius verſus incudi reddit ſuae? De Catullo vero haec habet: *Catullo docti nomen quare ſit ab antiquis attributum, neque apud alios comperi, neque dum in mentem venit mihi; nihil enim non vulgare eſt in eius libris; eiuſdem autem ſyllabae cum durae ſunt, tum ipſe non raro durus. Multa in eo languida, quorum miſeret, multa coacta, quorum piget.* Quid de Horatio? Nonne artem ipſius ad Piſones ſcriptam contemptim deprimere,

ac nullo paene loco habere non erubuit? Artem inquam illam, opus plane diviniſſimum, nec ſine Muſarum afflatu elucubratum, quam dum ſcriberet (quod de Ariſtotele librum de interpretatione ſcribente Suidas dixit) non in atramento, ſed in mente calamum tinxiſſe viſus eſt; quare omnium admiratione digniſſima ſemper fuit, neque unquam ſatis eruditorum laudibus celebrata. Scaliger autem eam vocat *artem traditam ſine arte;* deinde vero cum ex ordine eius praecepta connumeraſſet, ſubiungit, *ſi praeceptores noſtri nos illam olim ad hunc modum partiti eſſent, eius ſane facies nota nobis fuiſſet, itaut aliunde petendum eſſe auxilium intelligeremus, tunc autem admiranda erat ſimplicitati noſtrae*. Et quoniam ſupra aliorum iudicium aſſurgere, illoque reiecto acutius ſuum, atque ſagacius proponere pro more habuit, quemadmodum Horatium, Catullum, Ovidium maximo in honore a ceteris doctis habitos in multis ſaepe deprimit (nam qua erat calliditate interdum etiam commendat, & probat, ne videatur ex animi arrogantia, ſed ex veritate iudicium ferre) ita Claudianum, quem non adeo demirantur docti, pleniori ore celebrat, & exornat. *Maximus*, inquit, *poëta Claudianus, ſolo argumento ignobiliore oppreſſus addit ex ingenio quantum deeſt materiae. Felix in eo calor, cultus non inviſus, temperatum iudicium; dictio candida, numeri non affectati, acute dicta multa, ſine ambitione*. Quid amplius de Virgilio ſuo dicere potuiſſet homo Virgilio addictiſſimus?

Con-

Contra cum alios accepiſſet Lucanum paene parem Virgilio facere, in eos invehitur, & in ipſum Lucanum, quem interdum ait, potius latrare, quam canere. *De Statio ſimiliter doctiores ita iudicant*, inquit, *meliores eſſe Sylvas Thebaide, atque Achilleide; at ego contra ſentio*. Cumque talem, ut accepiſtis, in auctorum cenſura ſe praebeat, vult tamen a gloriae cupiditate haberi alienus, & extra ambitionis culpam poni. Suum veritatis ſtudium paſſim legentibus obtrudit, multoque opere ſuadet. Sed nugas agit; flagrantiſſima cupiditas, atque ambitio, qua perprurifcebat uſque ex unguiculis (Plautino verbo dicere libet) emunctiorem narem ſuam oſtentandi ipſamet palam ſe facit, & imprudenti excidit, ut mala quem tuſſis urget, quantumlibet extimulantem pruriginem laboret opprimere numquam facit, quin ſe prodat, & identidem perſtrepat. Quomodo enim inanis ſit gloriae contemptor, qui frequenter adeo thraſonice loquatur, ut glorioſus Plauti miles vix ſe praedicet arrogantius? Nonne certiſſimum arrogantiae indicium offert, dum in aris, quas Virgilio excitat in fine Hypercritici, ſe ſe putide ait, non egere hac gloriola, ingenium ſcilicet ſuum in maximorum ſcriptorum cenſura venditandi, cum ſatis ſibi laudis paraverit philoſophicis operibus, quae in lucem edidit? Tres praecipuos, maximeque furioſos reprehenſores Homeri fuiſſe comperio, quorum criminationes ſingulas ſubinde ſuis locis refutabimus, ſicut & aliorum humi-

lioris ſubſellii ; Zoilum antiquis temporibus , canem rhetoricum Aeliano dictum ; Scaligerum duobus ab hinc ſeculis , & Mottam e Gallia noſtro aevo. Poſtremum tamen hunc aliqua dignum excuſatione exiſtimem , quod Graeci ſermonis prorſus ignarus ad Homeri lectionem in aliam linguam non rite converſi acceſſerit ; duos vero priores , qui Graece ſciebant , inſana quaedam gloriae cupiditas ad iniuſtam tanti vatis criminationem ſtulte impulit . Quapropter iterum moneo vos , optimi iuvenes , qui per aetatem incauti eſtis , ut ſuperbos cenſores huiuſmodi devitetis ; neve eorum fraudibus vos implicari ſinatis . Mala haec , ſcripta quaelibet exagitandi , & auctoribus vel praecellentiſſimis oblatrandi cupido , atque cacoethes ad vanam quamdam acrioris ingenii oſtentationem , corrumpit animum , depravat iudicium , veritatem profligat , nec tamen reprehenſis officit, ſed reprehenſores ipſos traducit . Critices quidem artem , ſi modeſtiae cancellis circumſcribatur , neceſſariam quidem in literis affirmamus ; eas ſiquidem promovet , auget , excolit . Si vero petulantiam , atque impudentiam ſive duces , ſive comites habeat (qualis Scaligeriana Homeri cenſura) furioſa eſt , vana eſt , perdita eſt , literas perturbat , bonam mentem evertit , facitque , ut ſui ſectatores (dicam Terentiano verbo) intelligendo nihil intelligant .

DIS-

DISSERTATIO V.

De Platone Homerum e Repub. dimittente.

SYNOPSIS.

Homeri exiſtimatio laedi videtur, quod a Platone reprehendatur. Amicus Plato, ſed magis amica veritas. Quam abunde libros ſuos Homericis verſibus locupletaverit. Homerum damnat, quod de Diis ſermonem habens, fabuloſas allegorias uſurpet. Ipſemet Plato allegoriis abundat. Sanctius de Divinitate in Reipublicae libris diſſeruit. Illorum librorum maculae, atque naevi. Alibi de Diis vulgo acceptas opiniones complectitur. Plato aeque atque Homerus modo decore, modo indecore de Diis diſputant. Sanae religionis principia bona apud utrumque. Inique a Platone Homerus reprehenſus, quod aſpectabiles formas Diis affinxerit. Alius Platonis error, qui Homerum arguit, quod ſacrificiis flecti Deos dixerit. Refellitur item Plato, ubi Homerum culpat, quod Scamandrum inducit opem a Xantho petentem adverſus Achillem. Suſpicio eſt Platonem erga Homerum invidia laboraſſe. Multa poëtice ſcripſit. Stylus eius poëticus etiam in oratione ſoluta. Dictionem & doctrinam Homeri ubique ſapit. Cicero extimulante invidia Graecae linguae detraxit. In bonorum etiam animos invidia ſe latenter inſinuat.

Pla-

PLatonem ſaepe mirari ſoleo, auditores, quod in libris de Republica, Homerum improbaverit, ex eaque dimiſerit, quamvis honoris ergo unguentis delibutum, laneaque corona redimitum. Quapropter eiuſce rei ad trutinam expendendae cupido me frequenter inceſſit, videndique num Plato iuſtam Homeri accuſandi cauſſam habuerit, quaeve res in eius cenſuram illum impulerit. Sentiebam enim auctoritatem tanti viri non parum Homeri exiſtimationi detrahere. Quis enim non videt florentiſſimi Vatis gloriam non leviter infringi, quod Platonem habuerit reprehenſorem? Iam vero valde opportune hic ſe mihi offert occaſio hunc nodum extricandi, Homerumque adverſus Platonem tuendi. Poſtquam enim Scaligerum refutavimus, eiuſque cenſuram expunximus, ne forte auctoritate ſui nominis iuvenibus Homeri ſapientia initiandis obeſſet, opus eſſe animadvertimus, ut & Platonis reprehenſionem refellamus. Cuius tamen reprehenſio cum ſit longe modeſtior, & ab omni convicio aliena, non putavimus Platonem inter alios cenſores arrogantes, atque contumelioſos ſuperiori ſermone referendum. Ignoſcant quaeſo mihi Platonis manes, ſi eius in Homerum crimina diluo, & ab eo hac in parte diſcrepare, inque illum veluti pygmaeorum minimus adverſus gigantum celſiſſimum inſurgere videor. Etſi enim ſapientiam ipſius longe maximam, humanique ingenii fines

pro-

Digitized by Google

prope ſupergreſſam vehementer colam, exoſculer, diligam, eamque e divinis, quos ſcriptos reliquit, libris toto pectore haurire ſtudeam, ut egentiſſimam paupertatem meam ditem, magis tamen veritatem veneror & amplector. Quemadmodum enim ipſe Plato teſtatus eſt, ſe, quamvis maximo erga Homerum afficeretur amore, adhuc tamen maiore amore erga veritatem affici; ita nos eius exemplum ſecuti quamvis impenſe Platoni ſtudeamus, tamen impenſius, quam Platoni, ſtudemus veritati.

Et ſane, auditores, cui non videatur abſonum atque abſurdum, Platonem illum, qui nullo non loco ſuorum operum tanti facere viſus eſt Homerum, eiuſque auctoritate praecepta ſua non exornare tantum, ſed & fulcire, gemmiſque veluti pretioſiſſimis Homeri verſibus concinne pro re & loco uſurpatis libros ſuos locupletare, in Reipublicae deinde libris ab eo repente deſciviſſe, tamquam moribus noxium damnaſſe, alioque ablegaſſe? In duobus tantummodo dialogis ceterorum fortaſſe breviſſimis, quorum unus inſcribitur Ion, alter Gorgias, quinque & quinquaginta verſus ex Homero citaſſe compertum eſt. Quare ex hac ſcriptorum eius particula cetera quaeque tamquam ex ungue leonem iudicate, auditores. Quantum vero ponderis obtineat neſcio ratio illa, qua ſe tueri ſtudet, ubi illum damnat, quod ſcilicet paſſim allegorias uſurpet, cum de Diis maxime ſermonem habet, quae iuvenum animos corrumpant, & ad prave

cogi-

cogitandum, neque ad nudam veritatem expiſcandam condocefaciant, quandoquidem ipſemet allegoriis adeo redundet, fictiſque imaginibus, quarum ornamento atque lepore audientium auribus lenocinari voluiſſe convincitur non minus certe, quam Homerus ſeipſum evolventibus placere ſtuduerit. Quot enim habet ſummus ille intelligendi auctor, quorum ſenſus allegoria involvitur, & occultatur? Nonne merae allegoriae ſunt (ut nonnullas ſaltem indicem, prolixum enim eſſet indicare omnes) antrum illud nobile quod ab egregio philoſopho deſcribitur in Phoedro, curruſque alatus animorum, equique gemini, quorum alter melior, alter deterior; alter pareat aurigae, reluctetur alter: ortus Amoris in Convivio ex Inopia, Deoque Copiae: & in eodem fabula, quam narrantem inducit Ariſtophanem, ubi tradit homines fuiſſe rotundos, & quatuor manibus, pedibuſque inſtructos fuiſſe: ſed hi cum ſe inſolentius gererent, ab Iove in binas partes diſſectum, atque ita factum eſſe bipes hominum genus? Equidem fateor Platonem in Reipublicae libris ſanctius de Divinitate diſputaſſe (in quibus tamen non leviter inſanire illum arbitrantur plerique, ubi uxorum communionem probat, corporum nuditatem, mulierumque in adminiſtranda Republica, bellique gerendi cum hominibus ſocietatem; qui maxime Ioanni Serrano illorum librorum turpes naevi, inſigneſque maculae viſi ſunt; illic enim ſimilem ait ſe praebuiſſe ſobrio viro, qui acuto ali-

aliquo morbo laboret, eiuſque mentis acies aeſtuante febri perturbetur) fateor, inquam, philoſophum illum in Reipublicae libris ſanctius de divinitate diſputaſſe; at vero alibi vulgo acceptas de Diis opiniones, ſtultas illas atque ridiculas paſſim amplectitur, propriis eos nominibus compellando, eaque ipſis attribuendo, quae falſa vulgi religio attribuebat. Quapropter ſiquis contendat aeque atque Platonem de divinitate locutum eſſe Homerum, hoc eſt modo decore, modo indecore, fereque in idem conveniſſe ambos, non aberrabit a vero. Cum autem inanes de Diis opiniones adhibuerunt, non alia profecto de cauſſa ſibi eas narrandas propoſuiſſe putandi ſunt, quam ut vulgi rationem haberent. Si enim placere vulgo Homerus ſtuduit, non parum quoque Plato in id ſtudium incubuiſſe deprehenditur, praetereaque ſibi caviſſe, ne adverſam Socratis magiſtri ſui ſortem incurreret. In Eutyphrone ſiquidem docet Socratem eſſe ab adverſariis in cauſſam crimenque vocatum, quod humanas cupiditates in Deum cadere conſtantiſſime pernegaret. Praeſto igitur cum in Platone, tum in Homero ſanae Religionis bona principia ſunt. Ambos enim conſtat unum Deum ſecreto mentis iudicio credidiſſe, digneque de illo, quantum humanae menti ſolo naturae lumine colluſtratae licet, ſenſiſſe; ſed ambos pariter pravis opinionibus, quae de Diis apud homines obtinebant, ut vulgi ſuperſtitioni ſervirent, addictos ſeipſos atque devotos oſtendiſſe: neque tamen ut theo-

logos, ſed ut Graecos ſcriptis ſuis illas fabulas immiſcuiſſe: non enim eam, quam corde crederent, ſed quam foris profiteri cogerentur, religionem tunc pertractaſſe. Quis autem inficietur inique a Platone Homerum eſſe reprehenſum, quod Diis aſpectabiles formas affinxerit? Nequaquam turpe eſſe Deo exiſtimandum eſt hominis formam aſſumere, quem ad imaginem ſuam effictum, ſuaque ſimilitudine inſignitum voluit. Ariſtoteles quidem, quamquam aliquanto minus, quam eius magiſter Plato, ad intelligendum perſpicax & acutus, nihilominus ab Homero edoctus melius quam ille agnoſcit atque fatetur, divinum non dedecere Numen, ut hominum mentes ab erroribus, quibus implicantur, eripiat, humana ſpecie conſpiciendum ſe dare. Quae Ariſtotelis ſententia nonne doctrinam beati Athanaſii aliquantum ſapere videtur, qui in eo, quem habet de divino Verbo humanam carnem aſſumente luculentiſſimo ſermone, docet, clementiſſimum Deum cum hominum mentes in effrenatam rerum, quae ſub aſpectum cadunt, appetentiam infeliciter videret prolapſas, ut ad ſui agnitionem amoremque erigeret, & ad bonam frugem revocaret, eorum imbellicitati ſeſe accommodaſſe, hominemque fieri dignatum eſſe? Errat rurſus Plato Homerum redarguens, quod ex Phoenicis perſona Deos affirmat hominum precibus & ſacrificiis flecti, iramque benevolentia commutare (*Il. l. 9.*):

— Στρε-

——— Στρεπτοὶ δέ τε καὶ θεοὶ αὐτοί.

Ipſa ſinunt ſeſe precibus vel numina flecti.

Vae autem miſeris mortalibus ſi divina ira neque precibus exorari, neque hoſtiis emolliri poſſet. Rex Salomon de templo, quod mox extruxerat, verba ad Deum faciens: *Quicumque*, ait, *oraverit in loco iſto, exaudi de habitaculo tuo, ideſt de caelis & propitiare* (2. *Paralip.* 6. 19.) videlicet propitium placatumque te praebe. Preces, vota, ſacrificia, libamenta, quaedam veluti pacta ſunt atque foedera inter Deum homineſque inita ad eius iram reſtinguendam atque ſedandam, beneficiaque, quorum egent, impetranda, non quidem virtute aliqua ſibi propria, qua ad Deum vincendum per ſeipſa valeant, ſed quod argumenta ſint cordis poenitentiae voluntatiſque divino Numini, ſupremoque Domino ſe ſubdentis. Animadvertimus item a Socrate in Sophiſtis multis laudibus locum illum extolli, in quo Homerus Scamandrum inducit fluvialem Deum a Xantho altero fluviali Numine efflagitantem, ut ſibi adverſus Achillem, qui cum eo luctabatur, ſuppetias ferret; deinde vero in Republica hunc eumdem locum ab eo carpi. Quamnam, Dii boni, huius levitatis atque incoſtantiae cauſſam eſſe dicamus? Mihi iampridem haeret aqua, auditores, mecum haec ſaepius reputanti, & quid impulerit Platonem ad Homerum damnandum, cui tantopere addictus fuit, hariolanti. Qua enim erat ingenii acie mentiſque ſolertia, cur

paſſim plurimis aliis in locis Homerum laudet, mox vero mutato repente conſilio in Republica damnet? Fierine potuit, auditores, ut forſitan Plato ſecretioris cuiuſpiam invidiae ſtimulis lancinatus Homerum illum, quem prius celebraverat, coluerat, deinde carpſerit, atque damnaverit, cum praeſertim de illo teſtatum reliquerit Ioannes Chryſoſtomus (*Hom.* 4. *in Act. c.* 2.) quod *Homo plenus erat ironiae, ac zelotypiae vitio laborabat adverſus cunctos?* Certum quidem eſt Platonem principio ad poëticam facultatem animum adiunxiſſe, & dityrambos, tragoedias, epigrammata, quorum nonnulla elegantiſſima extant, conſcripſiſſe; cum autem videret Homeri praeſtantiam neque ſibi, neque fortaſſe ulli aſſequi licere, animum deſpondiſſe, ab incoepto deſtitiſſe, & ad aliud ſcribendi genus, Philoſophicos ſcilicet dialogos confugiſſe: quibus tamen planum fecit ſe quamvis poëticam facultatem dereliquerit, affectionem tamen, qua in illam ferebatur, derelinquere non potuiſſe; nam licet proſa oratione ſcripſerit, ſtylo tamen poëtico uſum eſſe liquet, adeoque tum dictionem tum doctrinam Homericam ubique ſapit, ut plerique Homerum archetypum exiſtimaverint, Platonem vero nobile quodpiam exemplum ad eius ſimilitudinem expreſſum atque efformatum. Qui periti rerum aeſtimatores ſunt perſpicue vident, quam mirum in modum diuturno ſtudio atque lectione velut in ſuum ipſius ſuccum atque ſanguinem totum Homerum Plato converterit, eaque ſapientia probe

Digitized by Google

be ſaginatus ad dialogos illos conſcribendos acceſſerit; quos iccirco haud ſibi laborioſum fuit Homericis opibus affatim locupletare, Homericiſque verſibus liberaliter conſpergere, eoſque identidem (in quo ſane mira eius ſolertia atque ingenium elucet) e proprio ſenſu ad alienum maximo cum lepore atque elegantia infle&tere. Quoniam vero dialogos illos prae Homeri carminibus probari, lectitarique exoptabat (optimus enim quiſque gloriae ſtudio maxime ducitur) ſeque ipſo longe adhuc praeſtantiorem Homerum agnoſcebat, cupiditate atque aemulatione fortaſſe obturbatus, fereque laudum, quas toties in eum congeſſerat, oblitus in eius reprehenſionem prolapſus eſſe creditur. Quod ut magis magiſque ſuſpicer facit Cicero, qui & ipſe extimulante invidia Graecam linguam nonnihil elevare conatus eſt. Cum enim primum Graecos ſcriptores iterum iterumque ſummis laudibus extuliſſet, Graecamque linguam ceterarum omnium reginam, omnium leporum, atque elegantiarum uberrimum fontem, totiuſque ſapientiae veluti penu depraedicaſſet, ad praeturam uſque, Suetonio teſte (*de Cl. Rhet.*) Graece declamaſſet, diſerteque affirmantem in Academicis quaeſtionibus Varronem induxiſſet, a ſe amicos ſuos in quibus ſtudium erat, in Greciam mitti, ideſt ad Graecos magiſtros, ut a fontibus potius haurirent, quam rivulos conſectarentur, mox tamen in philoſophiae libris Graeco ſermoni Latinum veluti locupletiorem praeferre tentavit, excla-

exclamavitque *O inopem aliquando Graeciam:* eius vero inopiae tam inanem, tamque non veram rationem praetexuit, ut nemini non conſtet non recto illum iudicio, ſed animo cupiditate labefactato atque corrupto ſententiam illam tuliſſe, videlicet ut libris ſuis lectorum frequentiam, maioremque, quam Graeci obtinerent, exiſtimationem conciliaret. Quia vero latius haec perſecuti ſumus oratione noſtra de linguae Graecae neceſſitate, atque facilitate, quam olim Etruſce conſcripſimus, publicique iuris fecimus, ab iis iterandis, ut brevitati conſulamus, in praeſentia abſtinendum ducimus. Quid ni igitur veriſimile habeamus, Platonem ipſum eiuſdem cauſae impulſione in Homeri ſcripta cenſorem egiſſe, eumque e Republica ſua exilio mulctaſſe? Credite, auditores, tam facile hominum animis irrepit invidia, ut excubias ſaepe fallat, latenterque ac veluti per cuniculos vel in bonorum animos ſe inſinuet, eoſque vel nolentes ſubigat. De ea beatus Ambroſius (*lib. de S. Ioſepho*.) veriſſime affirmavit, quod ſanctos etiam viros adurat. Non valde igitur mirandum erit ſi Platonem (etſi concederemus morum innocentia, vitaeque probitate fuiſſe integerrimum, de qua re plerique ambigunt) aemulatio tranſverſum egerit, utque Homerum aliquando limis oculis aſpiceret, impulerit. Quae tamen ita a me diſputata eſſe volo, ut non tamquam omnino certa vobis affirmare auſim, ſed ſuſpicionem tantummodo ancipiti animo meo obortam vo-

vobiſcum communicem, ſolertiſſimoque iudicio veſtro ſubmittam. Atque hic rurſum venia a Platone petita, ſi illum non reprehendendi quidem libidine, ſed aſſequendae veritatis ſtudio vellicare aliquantiſper atque perſtringere viſus ſum, vobiſque gratias agens quam maximas, optimi auditores, quod hac frequentia atque benignitate me audire non eſtis gravati, diſputationi meae finem impono.

DIS-

DISSERTATIO VI.

De Repetitionibus Homero familiaribus.

SYNOPSIS.

Abeſt ab Homero tautologia, quae quid ſit explicatur. Repetitiones apud eum nemo umquam veterum culpavit. Si repetitiones tollantur ab Homeri carminibus, maximum ab iis ornamentum tollatur neceſſe eſt. Conſuetudo huiuſmodi repetitionum antiquis temporibus vigebat. Non tamen eadem libertate ſive in Latino, ſive in Etruſco ſermone eas nunc uſurpare nobis liceat. Cicero huius parvae obſervationis fuit ſecurus. Idem dictum apud Virgilium ſaepius repetitum. Iteratio apud Homerum non a linguae Graecae, quae ceteris eſt locupletior, inopia provenit. Duo contraria conſilia, hoc iterandi, illud variandi; unum antiquorum, alterum recentiorum. Immoderatio utrobique cavenda. Exemplum picturae, in qua tenuiſſimas quaſpiam res iterare nullum eſt vitium. In nuntiis Homericis eorumdem verborum in mandatis exponendis repetitio defenditur. Humani ingenii indoles repetitiones non reſpuit. Homerus ſua poëmata concinnavit, ut cantarentur. Epitheta ſive Deorum, ſive heroum ſunt veluti quaedam agnomina titulique. Noſtris etiam moribus huiuſmodi agnomina, atque tituli nuſquam variantur. Epitheta Homerica in partem veniunt formandarum perſonarum.

Saepe

SAepe animum mihi pupugit illa Homeri reprehenſio, qua ſolet a pleriſque coargui, quod ſcilicet inſigniter vitio illo laboret , quod Graeci dicunt ταυτολογίαν , hoc eſt eiuſdem verbi aut dicti ſupervacaneam iterationem , idque tanta intemperantia ut ferri plane nequeat , & a nemine ulla ratione defendi . Si enim haec criminatio vera ſit, non parum gloriae ſummo poëtarum principi detrahi putabam , & ab eius ſtudio alacriter ſuſcipiendo pleroſque retardari iuvenum . Quapropter ut Homericarum rerum explanationi hac etiam defenſione praeluderemus opus eſſe duximus , cui concinnandae facem nobis praetulit clariſſimus Boivinius , qui de hoc argumento Gallico ſermone diſputavit . Abeſt igitur , abeſt, optimi auditores, a poëta maximo huiuſmodi naevus , ut eadem inepte repetat . Tautologiae ſiquidem vitium in eo ſitum eſt , ut idem verbum , aut dictum inſulſe ac ſine cauſa repetatur, ut factum accepimus a Batto garrulo paſtore apud Ovidium in Metamorphoſi , ubi garrulitatem eius ad hunc modum expreſſit

—————————— ſub illis
Montibus, inquit, erant, & erant ſub montibus illis.

Quaproprer vitium hoc non ſolum Tautologia, ſed & Battologia dictum eſt . Illam autem otioſis atque inutilibus verbis nullibi reperire eſt

Digitized by Google

apud Homerum, qui, ubi brevitate opus eſt, tam bene ſe praeſtat breviloquentem, ut in decimo ſeptimo Odyſſeae libro ad octo & triginta ſolos verſus ea omnia contrahat mira perſpicuitate atque ſolertia, quae duobus totis libris quarto & quinto de Telemacho ad Neſtorem & Menelaum profecto narraverat. Unde liquet, ubicumque eadem verba, aut ſententias repetit, ſive linguae ingenio, ſive priſcae conſuetudini obſecundaſſe; cum praeſertim non ſine lepore ac venuſtate huiuſmodi ab eo fieri repetitiones ex eo manifeſte appareat, quod nemo umquam veterum illas in eo culpavit, ſed magis illum ea de re plerique amarunt, & commendarunt. *Neſcio quomodo*, ait Macrobius, *Homerum repetitio illa unice decet, & eſt antiquo poëta digna.* Quod adeo verum eſt, ut, qui Homerum penitiſſime pervadunt, intimoque ſenſu deguſtant, maximum ab eo ornamentum & decus tolli putent, ſi repetitiones, quibus ſcatet, ab eo tollantur. Priſcis aetatibus huiuſmodi repetitionum ratio neque illepida, neque inutilis habebatur, quam poſtea conſecutis temporibus mollities quaedam, atque faſtidium, ac languor potius morbuſque, quam bonae mentis iudicium reſpuit, atque reiecit. Sane liber Geneſeos, aliique Moyſis libri repetitionum pleni ſunt. Quapropter nedum in antiquiſſimo poëtarum frequentem repetitionum uſum damnemus, illum deberemus tamquam certiſſimam notam, teſſeramque eiuſce aetatis, in qua vixit, agnoſcere. Cum vero ea lo-

loquendi conſuetudo iis maxime temporibus vigeret, non parum erraſſet Homerus, ſi ab ea abſtinuiſſet, & ad eam legem locutus non eſſet. Uſum enim in primis conſectari debet is, qui loquitur,

Quem penes arbitrium eſt & lex, & norma loquendi.

Praeſertim cum non parum ſublimi dictioni officiat haec frivola atque moleſta ſolicitudo tam caute atque anxie quaſcumque ſermonis formas evitandi, quae iam ſuperius ſint uſurpatae. Nequaquam tamen affirmarim ea prorſus libertate uti nunc licere nobis ſive Latino ſive Etruſco ſermone loquamur, quandoquidem conſuetudinis ſuffragium deeſt. Sed illud tamen certum eſt Romanos olim nequaquam ita putide fuiſſe ſolicitos atque meticuloſos, quemadmodum nos, ne ſive verba, ſive ipſas locutiones iterarent; quod idem de antiquis ſcriptoribus noſtris, ipſoque Boccacio dictum eſto. Non raro in eadem Ciceronis pagina tam parvae obſervationis (ut Fabius inquit *l.* 8.) ſecuri idem verbum quinquies, aut etiam ſexies repetitum obſerves; & apud Virgilium vel duodecies idem dictum reperias, *vix ea fatus erat*, aut *dein talia fatur*, & ſimilia. Argumentum autem certiſſimum eſt repetitionem non eſſe vitium apud Homerum, quod cum ſibi abunde ſuppeteret facultas variandi verba atque formas, quibus eamdem rem exprimeret, adeo non effugit repetitionem, ut eam affectaſſe videatur, dum iiſdem omnino ver-

bis eamdem ubique rem iteratam voluit. Neque enim ullum eſſe crediderim adeo eruditionis expertem qui id contigiſſe putet ob linguae inopiam; Graeca ſiquidem lingua non ſolum ceterarum omnium elegantiſſima, ſed longe etiam atque incredibili modo omnium conſenſione eſt locupletiſſima, non ſecus ac ampliſſimus fons rivos omnes ex eo promanantes aquarum copia ſuperat. Sed perpendite quaeſo, auditores, quemadmodum diverſa duo diverſis aetatibus conſilia uſus omnino contrarios invexerunt. Moyſes namque & Homerus, & antiquiſſimorum temporum ſcriptores eorumdem verborum aut etiam ſententiarum iteratione validius ingeri atque altius imprimi audientium animis rerum ſpecies intellexerant, & ſermonem fieri dilucidiorem. Ex hoc igitur conſilio atque ratione cônſuetudo tum verba, tum dicta quaedam, atque adeo integrum aliquoties ſermonem repetendi primitus effluxit, praeſertim vero in narrationibus exponendis. Contra vero poſteriorum aetatum homines cum ex ipſo Homero didiciſſent maximam orationis laudem atque iucunditatem ſitam eſſe in varietate (nullus enim pluſquam Homerus orationis varietate lectorem delectare viſus eſt) hoc variandi ſtudium veluti legem ſanxerunt; atque hinc tum eorumdem verborum, tum multo magis eiuſdem locutionis geminationem cavendam eſſe ſtatuerunt; ipſaſque tranſitiones variare optimum habuerunt; uno verbo nullum non lapidem movendum eſſe cenſuerunt, ut no-

vis

vis ſemper formis, novaque ratione dicendi eaſdem res, quae occurrerent in oratione iterandae, nullo non loco exponerentur. Utrumque profecto conſilium, uterque uſus bonus eſt atque laudabilis, ſi tamen utrobique modus quidam certique fines ſerventur. Opus ſiquidem eſt, ut neque ſimplicitatis aut perſpicuitatis amor ad iteranda immodice abſque ullo lepore eadem verba, eamdem locutionem, eumdem integrum ſermonem nos inducat; ſed pariter cavendum eſt, ne intemperantior variandi cura nos in puerilem affectationem iniiciat, ut videlicet eamdem rem, quae ſimpliciſſima eſt, maximeque communis atque vulgaris, numquam non diverſa ratione diverſiſque verbis exponere velimus. Nihil enim poëſeos aeſtum tam refrigerat, & mentis vim, atque impetum retundit, dum ea quae concepit parturit, quam nimia haec omnimodae varietatis cura, quae ad levia etiam minimaque adiuncta, quae rem circumſtant, nos demittit. Videtur itaque Homerus tum hac in parte, tum in nonnullis aliis moleſtum, futilemque laborem nimis anxiae obſervationis eſſe dedignatus. Fecit videlicet quod & pictores eximii facere conſueverunt. Summus enim pictor nequaquam putat ita ſe ad variandas omnes ſuas tabulas praecepto artis obſtringi, ut nihil prorſus habeatur in illis, quod ſimile ſit, atque omnibus commune. Si namque figurae, quae principem locum obtinent, inter ſe differant, nequaquam criminandus eſt pictor ob

quam-

quampiam rerum tenuiſſimarum iterationem. Pinacothecam vobis proponite, auditores, tabularum humanas formas repraeſentantium plenam, atque in iis plures tabulas, quae virum eumdem diverſa agentem exprimant. In hac v. g. videtis Achillem furore percitum minas Agamemnoni intentantem; in altera eumdem Achillem Briſeida praeconibus reddentem, qui ad eam ab ipſo repoſcendam Agamemnonis iuſſu advenerant; in tertia item Achillem, qui cum matre Thetide iniuriam, quam acceperat ab Agamemnone, expoſtulat. Equidem fateor, ſi Achillis geſtus, & poſitus, ac totius corporis conformatio uno ubique tenore expicta ſint, par eſſe, ut odioſa redintegratio vitio detur pictori. Sin autem iteratio ſolummodo ſit veſtis, aedificii, arboris, montis, nubis, quae in ſingulis illis tabulis ad eumdem modum efformentur, aut etiam loci ipſius uno eodemque colore pictis imaginibus ſubiecti atque circumdati, neminem cordatorum fore arbitror, qui de hiſce quaſi quiſquiliis, utrum varientur, nec ne ſit ſolicitus. Eia age haec omnia Homero accommodemus, quandoquidem *Ut pictura poëſis erit*, teſte Horatio. Homerus quidem repetitione utitur; ea tamen non inſignes ac palmares locos occupat, qui attentionem conciliant, & legentes ad ſe rapiunt, aut eximia illa Homericae picturae lineamenta atque colores, in quibus artis pretium, ac praecipua laus ſita eſt; ſed in parvis ac leviculis rebus verſatur, quae lectorem minime morantur,

in

in tranſitionibus, in communibus quibuſdam adiunctis, quae rem circumſtant, in familiaribus imaginibus, quae naturaliter recurrunt, quaſque lector negligenter obſervat, ac facile praeterit; cuiuſmodi ſunt ſacrificiorum, & conviviorum deſcriptiones, conſcenſiones in naves, ac de iiſdem egreſſiones, ac denique ea omnia, quae cum ſemper eadem ratione tranſigantur, diverſimode exponi atque exornari videntur reſpuere. At diſplicet, inquiunt, in nuntiis tam affectata repetitio, ut quibus verbis deferendum mandatum ſit commiſſum, iiſdem omnino deinde explicent. Neque enim valet ad rudem impolitumque morem defendendum accuratam legatione defungentium fidelitatem adducere; ad hanc ſiquidem teſtandam ſatis erat dixiſſe, quod fideliter mandata detulerant. At haec rei explicandae ratio, quae a delicatulis iſtis in Homero deſideratur, ut expeditior, atque elegantior ipſis videatur, non erat antiquiſſimis temporibus (quod etiam ſacrarum literarum teſtimonio facile evincitur) uſu recepta atque probata. Magis idoneam magiſque concinnam (nec forſitan ſua eos fallebat opinio) in legationibus obeundis faciendiſque narrationibus repetitionem illam nullo prorſus verbo variatam veteres homines exiſtimabant. At ſiquis, inquiunt, indolem humani ingenii conſideret, videat ſtatim neceſſe eſt repetitiones illas voluptatem nequaquam parere potuiſſe; humanum namque ingenium eas refugit, atque averſatur. Haud inficior huiuſmodi repetitio-

titiones voluptate permulcere illorum aures non poſſe, quae iis audiendis minime aſſueverunt; contrario apud eos uſu invaleſcente. Adſunt tamen uſitatae quaedam repetitiones, quae nobis etiam voluptatem creent, quales eae ſunt, quae in bucolicis carminibus ſaepius iterantur, quae quoniam identidem interſeruntur, intercalares vulgo appellari ſolent. Solemnes etiam ſunt in cantilenis muſiciſque compoſitionibus ad ſatietatem uſque iterationes; quod evincit repetitionem per ſeipſam nequaquam eſſe hominibus iniucundam, aut illepidam. Certe Homerus ſuam poëſim concinnavit ut cantaretur. Primus enim Iliadis verſiculus narrationem pollicetur ab una muſarum decantandam, ita ut ſiquis proprie loqui velit nihil aliud erat Ilias (quod idem de Odyſſea dictum eſto) quam prolixa quaedam cantio, in qua iccirco moleſtum non erat, dum ſubinde tum eadem verba, tum eadem modulationes opportune iterabantur. Sed neque epitheta Deorum aut Heroum, quae ubique ferme eadem ſunt, quemquam movere debent, qui quaſdam eſſe veluti attributiones ipſis adfixas animadvertit, quaedam agnomina, quoſdam titulos, quemadmodum apud Virgilium Aeneas paſſim appellatur Pius. Profecto ad haec uſque tempora mos iſte perduravit haſce veluti peculiares epithetorum notas multis regibus ſive Galliae, ſive aliarum nationum apponendi; quorum alter exempli gratia Philippus Pulcher, alter Carolus Craſſus, alter Carolus Magnus, alter Ludovicus

dovicus item Magnus, aliiſque agnominibus alii, quotieſcumque nominandi ſint, ſuo quaſi iure appellari perpetuo poſtulant. Tituli vero Comitis, Marchionis, Equitis, Ducis, & id genus alii, frequentiſſime repetuntur etiam a nobis, cum perſonas illas nominamus, quae iis condecorantur. Quid ergo Homero indignamur, dum paſſim flavum appellat Menelaum, velocem pedibus Achillem, verſipellem Ulyſſem; & e Diis ſimiliter ab argenteo arcu Apollinem, a magnis, ſive expanſis oculis Iunonem, a candenti fulmine Iovem vocitat, ut de ceteris quibuſque ſileam? Quare ſi Homerica epitheta non ſine arte quapiam, ac dedita opera ſaepius iterata, ac veluti rebus, ſi ita loqui liceat, ſolerter adſuta naſo ſuſpendimus, ac temere reſpuimus, vehementer allucinamur. Laus etenim maxima ob ſedulam illam epithetorum iterationem meo quidem iudicio ipſi eſt tribuenda. Unaquaeque ſiquidem perſona, quam formandam Homerus ſuſcipit (Horatii verbis elegantiſſimis dicam) *ſervatur ad imam Qualis ab incoepto proceſſerit, & ſibi conſtat*, tum ceteris attributionibus quibuſcumque, quae ſibi conveniunt, ubique apprime ſervatis, tum peculiari epitheto conſultiſſime adiecto, & ab ea fere numquam divulſo, inſigni veluti nota quapiam illam exprimente.

DISSERTATIO VII.

De Iliadis exordio, Achillis ira, Deique voluntate mala hominibus immittentis.

SYNOPSIS.

AB invocatione divini numinis Iliadem auſpicatur vates. Ceteri poëtae ſunt illum in hac invocatione imitati. Haec invocatio & religionis documentum eſt, & veriſimilitudinem iis, quae narraturus eſt, aſtruit. Quam ſtulte Protagoras Homeri invocationem carpſerit. Stulte itidem reprehendunt poëtam alii, quod Achillis iram canendam ſuſceperit. Ira teterrimum malum ſummopere deteſtandum, atque fugiendum. Quomodo divina voluntas mala hominibus inferat. Duplicis generis mala. Plutarchus non bene videtur Homeri mentem interpretari. Homerus non eſt plagiarius carminum Sibyllinorum. Gulielmi Canteri ineptum iudicium. Sibyllina, quae circumferuntur, ſunt ſuppoſititia. Πάρεργον *de Graeca pronunciatione.*

SAtis mihi videor praeeuntibus diſputationibus adoleſcentium mentes inſtruxiſſe, ac veluti propugnaculis quibuſdam vallaſſe, ut adverſus pravas opiniones & Homero inimicas valeant, & Homericam ſapientiam eo, quo par eſt, in pretio habeant, prom-

Digitized by Google

prompto ſtudio ac flagrantiſſimo concupiſcant, combibant, hauriant. Age iam Iliadis exordium exponamus. Poëma hoc celeberrimum omnique laudatione maius ab eius rei propoſitione, quam tractaturus eſt, ſimulque divini Numinis invocatione ſapientiſſime auſpicatur; quod ceteri quoque vates eius veſtigia conſecuti ſibi faciendum eſſe exiſtimarunt. Cum enim illud in animo habuerit, ut non ſolum carminibus ſuis lectorem delectaret, ſed pariter moneret; docuiſſe inſigni exemplo ſuo videtur, nihil umquam nos aggredi debere, niſi prius divinam opem imploraverimus, & ad Deum, ſine quo nihil boni praeſtare valemus, confugerimus.

Μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηλιάδεω Ἀχιλῆος
Οὐλομένην, ἣ μυρί᾽ Ἀχαιοῖς ἄλγε᾽ ἔθηκε.
Πολλὰς δ᾽ ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν
Ἡρώων. ——————————

Quos verſus ſic nos Latine ſumus interpretati:

Iram, Diva, cane, immiti quae exarſit Achillis
Pectore Pelidae, Graiis nocuam, exitialem,
Quae tantis miſeros afflixit cladibus, atque
Tam multas fortes animas demiſit ad Orcum
Heroum. ——————————

Sed non ſolum, ut exemplum traderet pietatis, & religionis in ipſo poëmatis initio numen invocat noſter vates, ſed etiam ut fidem, atque

veriſimilitudinem iis quae narraturus eſt conciliaret, dum ſe divini Numinis ductum ſequi, illudque mentem ſuam afflare, ſibique veluti facem ad dicendum praeferre demonſtrat, quod Poëtices c. 19. animadvertebat Ariſtoteles.. Verum Protagoram neſcio quem nos interpellantem audiamus, qui unus ex illis fuit, qui clareſcere ſe poſſe putant maximis inimicitiis, cum ſint obſcuriſſimi. Criminatur itaque Homerum, quod in turpem errorem hoc loco prolapſus ſit; non enim, inquit, ut decebat, Deam alloquitur, non precatur, ſed (quod arrogantiam ſapit) imperat. Μῆνιν ἄειδε θεά. *Iram, diva, cane*. Pudet huiuſcemodi criminationem refellere adeo frivolam, adeo ſtultam, veſtriſque auribus prorſus indignam, eruditiſſimi auditores. Quem enim puerum, qui vel a limine grammaticen ſalutaverit, lateat grammaticos modos (ut notat Voſſius *de inſtit. Poët. l. 3. c.* 4.) a praecipuo uſu, quem habent, ita eſſe denominatos, ut tamen aliis etiam uſibus identidem deſervire poſſint? Diſce igitur, Protagora, manu ferulae nondum ſubducta, imperandi modum ſic appellari, non quod eo ſemper imperemus, ſed quia ſaepius ad imperandum utimur. Ceterum ad orandum quoque aptiſſimum eſſe clarius eſt, quam ut verbis oſtendi debeat; ſiquidem non ſolum Ethnici, ſed Hebraei etiam, ipſique Chriſtifideles, quorum tam ſancta, tam munda, tam cauta religio eſt hunc modum adhibent ſaepiſſime, cum a Deo quae optant efflagitant. Fuit etiam, qui Ho-

Homerum accuſaret, quod malam animi affectionem, ac deteſtandam perturbationem, iram nempe Achillis canere aggrediatur. Sed haec ſimiliter accuſatio nulla macula ſplendidiſſimum Homeri nomen aſpergit, ſed tantum auctoribus ſuis tam inepte ſentientibus, tam inaniter effutientibus ſtultitiam exprobrat ſingularem. Homerus enim non canendam ſuſcipit Achillis iram, quaſi laudibus efferre velit, ſed ut vituperet, abiiciat, maximeque perniciosam oſtendat, utpote quae tot tantorumque malorum deploranda origo Graecis extiterit. Quod quantam afferat legentibus utilitatem nemo plane eſt, qui non videat, auditores. Hinc enim optime erudimur, quam grave, quam funeſtum, quam noxium malum ſit ira, ut eam quiſque deteſtari atque effugere enixe ſtudeat, ne ſibi aliiſque non levia damna iratus inferat. Maxime vero pervicacem inexorabilis Achillis iram, *gravemque* (ut appellavit Horatius *l.* 1. *Od.* 6.) *Pelidae ſtomachum cedere neſcii* ab animis noſtris amoliri omni ſtudio conemur. Nam (ut docet etiam Euripides in Medea, qui acceptam ab Homero vocem tamquam Echo reddere viſus eſt)

Πολλοὺς δ' ὁ θυμὸς ὁ μέγας ὤλεσεν βροτῶν.

Immitis homines perdidit ira plurimos.

Et ſane quid peius umquam ira, qua qui tenentur, feris ſimiles facti ſunt? Qui enim propter

iram

iram mutua ſibi mala inferre parati ſunt, nonne feris ſaeviſſimis aſcribi debeant, quibus teterrimum adverſus homines odium natura indere viſa eſt? Ob iram enſis acuitur, mors hominis ex homine venit, fratres ſe ipſos ignorant, parentes, ac liberi naturalis neceſſitudinis obliviſcuntur. Non ſenectus iracundis venerabilis eſt, non virtus vitae, non acceptae iam gratiae, non dona, non beneficia, quae promittuntur in poſterum; non denique quidquid precioſum eſt, magnoque in honore habendum. Diſcamus ergo, auditores, iram, quae malum eſt adeo exitiale, premere atque ſubigere. Cum enim ceteris affectionibus longe potentior ira ſit (ut apud Laërtium inquit Chilon) illam ſuperare fortius eſt, quam armatum hoſtem deiicere, praeſertim cum non minus exitii mortalibus ab ira proveniat, quam ab hoſte; ab ira inquam,

——— ——— quae procudit enſes
Et miſeras inimicat urbes;

(ut ait Horatius *car. l.* 4. *Od.* 15.) Qui bene proinde alio loco monet (*lib.* 1. *ep.* 2.)

——— animum rege, qui niſi paret
Imperat, hunc frenis, hunc tu compeſce catena.

Ubi ad veſtram eruditionem, ornatiſſimi adoleſcentes, notandum eſt *animum* hoc loco ſignificare *iram* Graecorum more, qui θυμὸν *iram* & *ani-*

animum appellare conſueverunt. Sed iterum Vates aliud inculcat lectoribus ſuis religionis documentum. Dum enim Achilles (qui quanto bellica virtute ceteris praeſtabat, tanto erat ad ferendam ſibi illatam iniuriam mollior, atque imbecillior) graviſſimam in Agamemnonem iram, quae omnium malorum ſeminarium Graecis fuit, implacabilis foveret, divinam expleri voluntatem diſertiſſimis hiſce verbis teſtatus eſt

——— διὸς δ' ἐτελείετο βουλή.

Numinis interea expleta eſt adverſa voluntas.

Senſit itaque docuitque Homerus, quidquid accidit, divinae Providentiae conſilio accidere, ex eaque humanos eventus quoſcumque pendere, atque icciro hac ipſam Achillis iram, tamquam ultricis iuſtitiae ſuae telum adhibuiſſe divinum Numen, quo a Graecis multorum ſcelerum, quibus obſtringebantur, exigeret poenas. Neque enim ſatis liquet cur Plutarchus (*de aud. poet.*) exiſtimaverit eam nequaquam fuiſſe Poëtae mentem, ut de Iove ipſo loqueretur (perinde quaſi huiuſcemodi voluntas Iove eſſet indigna) ſed Fatum Iovis nomine indicare voluiſſe. Niſi fortaſſe tantum virum latuiſſe arbitramur (quod non eſt veriſimile) ex hiſce malis, quae hominibus immittit, non levia profecto bona Deum depromere conſueviſſe. Nam duplicis generis eſſe mala animadvertendum eſt. Aliud ſiquidem natura

tura malum eſt ; aliud noſtrorum ſenſuum iudicio . Quod natura malum eſt , ex nobis ipſis ortum habet , non autem ex Deo , qualis iniuſtitia , ira , caedes , invidia , dolus , intemperantia , ceteraque huiuſmodi flagitia , quae hominis animum ad Dei imaginem efformatum corrumpere ſolent , eiuſque dignitatem atque ſplendorem turpibus maculis inquinare . Rurſus malum dicimus , quod moleſtiam ſenſibus creat , ac dolorem inurit , ut morbos , egeſtatem , pecuniae damna , domeſticorum amiſſiones , bella , peſtilentias , terraemotus , aliaque ſexcenta , quorum unumquodque ad noſtram utilitatem ab optimo atque ſapientiſſimo humanarum rerum adminiſtratore nobis immitti , minime eſt dubitandum . Quo ſenſu locutos eſse novimus ſanctiſſimos Prophetas , ceteroſque divinarum paginarum ſcriptores , quoties a Deo mala deſcendere teſtati ſunt . Iovis igitur complebatur voluntas , dum Graecos primum peſtilentia interimeret , deinde vero per Achillis iram ad extremam paene cladem adduceret , undique a Troianis preſſos , metu conſternatos , exuſtis navibus magnaque copiarum parte internecione deleta . Ex ira nimirum Achillis , quod malum erat natura , & ab Achille ipſo profectum , clades Graecorum effluxit , quae non niſi volente Deo contigit , ut Agamemnon puniretur , ac reſipiſceret , iniuriamque , qua optimum Achivorum affecit , agnoſceret , ac reſpueret , laeſoque Achilli tum veniam obteſtando , tum dona plurima pollicendo ſatisfaceret ;

Διὸς

—— διὸς δ' ἐτελείετο βουλή.

Hunc Homeri locum Apollonius reſpexit Argonauticorum ſecundo

—— τὰ δὲ πάντα διὸς βουλῇσι τέτυκται.

Quem Apollonii verſiculum Latine convertiſſe videtur Ovidius (*lib.* 8. *Metamorph.*)

—— *quidquid ſuperi voluere peractum eſt*.

Hoc ipſum Homericum hemiſtichium in farragine Sibyllinorum carminum habetur. Quis vero hic ſatis mirari poſſit ineptum Gulielmi Canteri iudicium, qui Sibyllae plagiarium facit Homerum, putatque e Sibyllinis non pauca delibaſſe, ſuiſque carminibus inſeruiſſe? Quaſi vero carmina, quae vocant Sibyllina, genuinum opus eſſent, atque ipſiuſmet Sibyllae folia a Sibylla ſive una, ſive pluribus ante Homerum conſcripta, & non potius ſpuria, ac mere ſuppoſititia, longeque poſt Homeri tempora, imo aliquot poſt Chriſtum ſeculis a bonis forſan quibuſdam viris pia fraude conſuta, atque conſarcinata, ut bene animadvertit Duportus. Utcumque enim res habeat de Sibyllinis antiquis (quorum veteres meminerunt) utrum fuerint vere Sibyllina, nec ne, quod nunc ad trutinam expendere non vacat, certe libros octo Sibyllinorum carminum, qui modo circumferuntur, non

ſolum caecutiens (dicam verbis Opſopaei) ſed caecus omnino ſit oportet, qui genuinum Sibyllae partum agnoſcit. Cum enim nulla Sibylla antiquior extiterit Moſe, quomodo de eo vaticinari potuit, quomodo univerſam mundi alluvionem praedicere? quomodo una cum Noë in arca eſſe? Ait enim ſe (*lib.* 3.) cum viro ſuo, cum ſocero, & ſocru, cum leviris, & gloribus antiquiſſimo alluvionis illius tempore fuiſſe iactatam, quod ipſum auditu inſolens, & a nemine hactenus proditum eſt. Quid de multis aliis circa tempora palmaribus erroribus, ſive ἀχρονισμοῖς ne in ſcriptore quidem imperito venia dignis? Quomodo ergo Divino ſpiritu afflatae eos effundere potuerunt Sibyllae? Sed & ordo ipſe multum fidei Sibyllinis libris (eodem Opſopaeo notante) detrahere videtur. Sibyllina namque carmina, ut Iuſtinus teſtatur, inconcinna erant, obſcura, mutila, ne ab ipſa quidem intellecta, quippe cum furore quodam effuſa, ut proverbio locum dederint, quo rem perplexam, atque involutam foliis Sibyllae obſcuriorem eſſe dicimus. At Sibyllini, quos modo habemus, libri, etſi metri ratio interdum claudicet, fere perpetuum rerum ordinem ſervant, reſque ipſae adeo plene, copioſe & aperte deſcribuntur, ut vel inde tantum coniicere liceat, illas non praedictas, ſed prius viſas, auditas, lectas, deinde vero ab aliquo deceptore, qui falſa religione ſimplicibus imponere voluit, tam perſpicue libris illis eſſe mandatas. Quapropter eorum nemo,

qui-

quibus cor ſapit, octo illos Sibyllinorum carminum libros pro veris & nativis umquam habuit; ac proinde valeat Canterus cum iudicio ſuo pravo, futilique, ac perperam lato. Liceat modo tamquam huius diſputationis πάρεργον pauca loqui de Graecae pronunciationis ratione, quam, dum Graeca afferemus, conſectabimur. Non enim, quemadmodum Tranſalpini φιλέλληνες, eorumque aſſeclae conſueverunt, hiulcas diphthongos ſumus pronunciaturi, aliaſque quas ipſi praeſcribunt pronunciandi leges ſervaturi; ſed potius recentiorum Graecorum conſuetudini obſecundabimus. Cum enim non ſolum veterem Graecorum linguam addiſcere nobis placuerit, ſed etiam vernaculam, quam Graeci conſequutis temporibus ex veteris corruptela atque everſione conſtruxerunt, operae pretium duximus eorum pronunciationis legibus acquieſcere, ne ſi forte cum iis Graece loqui contingat, ridendum me praebeam, inſolentem illam, eorumque moribus moleſtam pronunciationem afferens, non ſecus ac ludibrio Galli hominis ſe obiiceret, ſiquis cum eo loquens Gallicas diphthongos, quibus ea lingua abundat, diduceret, ceteraſque leges Gallicae pronunciationis abiiceret. Parum intereſt utrum hac, an illa ratione Graeca pronuncies, veteri genuina pronunciatione iampridem extincta, atque corrupta. De Graeca lingua intelligenda laborandum, non de Graeca pronunciatione litigandum. At complures ſunt qui ſubtiles diſputationes de pronunciando inſtituunt,

cum interim de intelligendo minime ſint ſolliciti . Profecto me non latent eorum argumenta ; quibus ad ſuam ipſorum ſententiam acrius tuendam permoventur , qui recentiorum Graecorum pronunciationem non probant , eaque ſaepius diligenter expendi , neque ut levia aut contemnenda umquam reieci ; quinimmo multum ipſis ineſſe ponderis ſum arbitratus . Verumtamen cum & adverſae ſententiae ſuae ſuffragentur rationes , nequaquam ille culpandus eſt , qui ad eam neceſſitate compulſus ſibi accedendum putaverit , ſiquidem de ea re

Grammatici certant , & adhuc ſub iudice lis eſt .

Verum de hac quaeſtione , ut rationes utrimque vos ipſi perpendere poſſitis , peculiari aliquando tractatione enucleate diſputabimus . Illud in praeſentia tantummodo a vobis quaſi meo iure poſtulo , ut quemadmodum nos aliorum ſententiam non reprobamus ; ſic noſtram , ſiqui forte adſint , qui minime amplectantur , ipſi quoque vel non reprehendant , vel aequi bonique faciant . Iniquum enim fuerit in iis rebus , de quibus inter eruditos viros diſceptatio eſt , contrariam alterius ſententiam criminari , quae non minus quam tua bonis rationibus innitatur .

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO VIII.

De cauſſa irae Achillis; de ſomniis; & de periculoſa Regis increpatione.

SYNOPSIS.

Narrationis ſumma, ex qua totum dependet Iliadis poëma. Somniorum alia naturalia, divinitus alia immiſſa. Naturalium mira varietas, & complures cauſſae. Non ſolum ab Iove, ſed etiam ab aliis Diis immitti ſomnia crediderunt Ethnici. Aegri in Aeſculapii templo captabant ſomnia. Teſtimonia e ſacris Paginis petita ſomniorum a vero Deo immiſſorum. Apud Ethnicos ars interpretandi ſomnia futilis & praeſtigioſa. Non ſine Deo videtur ſomniaſſe Mandane Cyri mater. Somniorum duae portae. Earum explicatio. Chalcas augur quamvis ad libere loquendum ab Achille extimularetur, Agamemnonem coarguere renuebat. Magni Alexandri Clytum inter epulas ob reprehenſionis libertatem necantis ſaevitiei. Leonis, & Regis ſimilitudo. Exemplum Tiberii vindictam procraſtinantis. Summa prudentia, atque dexteritate in commonendis Regibus opus eſt.

Qui

QUi proxime habito ſermone de Achillis ira diſputavimus, ornatiſſimi adoleſcentes, cauſſam modo exponendam ducimus, cur tam vehementer, tam pervicaciter, tam implacabiliter in Agamemnonem exarſerit, & alia quaedam huc ſpectantia dicendo evolvere, quae veſtrae eruditioni profutura exiſtimamus. Memorat itaque Vates (*l.* 1.) Deûm Latonae atque Iovis filium Agamemnoni ſuccenſuiſſe, quod indignius Chryſen ſacerdotem acceperat. Cum enim Chryſes recepturus filiam Chryſeidem oblato redemptionis pretio Agamemnonem adiiſſet, is nec Apollinem veritus, nec ſenis Sacerdotis canitiem, nec Dei ſceptrum, atque coronam, quae ille ad permovendum Regem manibus geſtabat, non ſolum filiam enixis precibus petenti non reddidit, ſed durius illum habuit, minis deterruit, verbiſque contumelioſis, ut infecta re ſtatim abiret, imperavit. Sacerdos de accepta iniuria cum Apolline conqueritur, ultionem imprecatur, obtinet. Apollo enim teterrima peſte Graecorum exercitum caepit affligere. Poſt novem dies, cum adhuc graſſante lue animantia ſimul, atque homines miſere conficerentur, Achilles Iunonis voluntate concilium convocat, monetque Agamemnonem augurem aliquem aut ſacerdotem, aut coniectorem ſomniorum conſulendum, qui cauſſam aperiat, quare tam gravem Apollo iram in Graecos exerceat, quandoquidem ſomnium Iupiter

Digitized by Google

piter immittit, eiuſque donum eſt ſomniorum coniectatio

——— καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐςι.

Somnia namque ad nos deſcendunt ab Iove ſummo.

In medium igitur evocatur Chalcas auguriorum peritiſſimus, qui Apollinis iracundiae cauſſam in Agamemnonem derivat, denunciatque non prius peſtem fore ceſſaturam, quam Chryſeis nullo exoluto pretio patri redderetur, offenſumque Numen legitima hecatombe placaretur. Aegre admodum interpretationem tulit Agamemnon; tamen Chryſeidem reddidit totius exercitus veritus ſeditionem. Verum ut conceptum dolorem ob feminae iacturam egereret, per ſummam iniuriam Briſeidem Achilli rapuit, ob quam iniuriam tanto irae aeſtu exarſit Achilles, ut Agamemnoni deinceps fuerit infenſiſſimus, & a bello deſciverit. Interim vero mater Thetis ut gravi affectum aegrimonia filium deleniret ac ſolaretur, eam ultionem ab Iove impetravit, ut quamdiu ille abeſſet a pugna maximis cladibus Graecorum exercitus afficeretur. Haec ſane Homericae narrationis ſumma, cui veluti fundamento iacto poëmatis extructa moles innititur. Profecto in ea plana omnia atque perſpicua. Solummodo ad ſe nos vocat illud hemiſtichium

——— καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐςι,

ut nonnulla de ſomniis delibemus. Horum alia eſſe naturalia, divinitus alia immitti norunt

omnes.

omnes. Naturalium miram varietatem ex diverſa corporum affectione, temperamento, humorum incurſionibus, aliiſque huiuſcemodi cauſſis ortum habere docent communiter Philoſophi. Quare non erit inutile Medicis, monente Ariſtotele atque Hippocrate, obſervare atque expendere aegrotantium inſomnia ad eorum morbos diiudicandos, atque curandos. Ex ea namque obſervatione ſatis probabilem coniecturam capere poterunt, quae humorum temperies intus lateat, eorumque defectum vel exuperantiam dignoſcere. Somniorum cauſſis item annumerari debet earum rerum cogitatio atque cura, quibus interdiu occupati fuimus. Harum ſiquidem ſimulacra ut ſunt recentia, ita plerumque facultatem, quae rerum ſimilitudinem, & imaginem concipit, magis movet. De qua re non minus ſapienter quam eleganter ad hunc modum diſſerit Lucretius (*lib.* 4.)

Et quo quiſque fere ſtudio defunctus adhaeret,
Aut quibus in rebus multum ſumus ante morati,
Aut in qua ratione fuit contenta magis mens,
In ſomnis eadem plerumque videmus obire;
Cauſſidici cauſſas agere, & componere leges,
Induperatores pugnare, ac proelia obire,
Nautae contractum cum ventis degere bellum.

Huc pertinet illud Claudiani ea in ſomnis a nobis videri affirmantis, quae vigilantes concupiſcimus (*in Praef. ſex. Conſ. Hon.*)

Omnia

Omnia quae ſenſu volvuntur vota diurno
Pectore ſopito reddit amica quies.

Iam vero dicendum de iis, quae a Deo immittuntur, ut diſerte tradit Homerus

——— καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ διός ἐστι.

Haec autem θεήλατα, ſive θεόπεμπτα, ſive etiam διὸς ὀμφὰς appellare conſueverunt Graeci. Homerus igitur myſticorum ſomniorum non alium Deorum, ſed Iovem facit auctorem, quod ab eius nutu omnia dependeant, moveantur, gubernentur. Sed Ethnicorum ſuperſtitio, quae Deorum numerum paene infinitum invexit, ab aliis deinde etiam Diis credidit immitti ſomnia, maxime vero ab Apolline, atque Aeſculapio, itemque ab Oſiride, atque Serapide, ut apud Strabonem (*lib.* 7.) atque Suetonium (*in Veſp. c.* 7.) videre eſt. Hinc ferunt in Aeſculapii templo aegros conſueviſſe captare ſomnia, quibus a Deo admonerentur, qua ratione ſuos curarent morbos; praeſertim vero Epidauri nobiliſſimum templum Aeſculapio dicatum extitiſſe nullo non tempore aegrotorum multitudine frequentatum, tabelliſque hinc, atque illinc e parietibus dependentibus, in quibus eorum nomina erant inſcripta, qui convaluiſſent. Huiuſce rei teſtis luculentiſſimus adhiberi poteſt Plautus in Curculione, ubi Cappadocem lenonem lienoſum inducit ex Aeſculapii templo prodeuntem,

& ſomnium quod viderat ad coniectores referentem. Quamvis autem multa fuerit apud Ethnicos ſuperſtitio in ſomniorum interpretatione, nimiaque credulitate a Deo paſſim ſomnia immitti putarent, illud tamen nefas eſt non admittere, quod divinae Literae apertiſſime docent, nempe Deum identidem non tantum piis, ſed etiam impiis ſe revelare per ſomnia. Numerorum libro, capite duodecimo, ſe per ſomnium loquuturum teſtatur Deus. Eſſe Deum in coelo revelantem myſteria aiebat Daniel (*c.* 2.). Ita Ioſephus e ſomnio, quod Pharaonis pincerna, & piſtorum magiſter in carcerem detruſi viderant, divinabat hunc ſuſpendendum, illum poſt tres dies liberandum. Idem e Pharaonis ſomnio ſterilitatem praedicebat. Similiter Daniel Nabuchodonoſori ſomnium interpretabatur, & quae illi eventura eſſent, inde vaticinabatur. Tradunt etiam nonnulli Abrahamum omnium primum involucra ſomniorum explicuiſſe, ac ceteris patefeciſſe. Quae ſomniorum interpretatio ut apud ſanctos homines, veraeque Religionis profeſſores vera fuit, atque ſolida, ita futilem atque inanem apud Ethnicos fuiſſe ultro concedimus. Quapropter ut praeſtigioſam artem ac ſubdolam de medio auferre conati ſunt Epicurus, Metrodorus Chius, Xenophanes Colophonius e Graecis, & e Romanis Cicero. Nihilominus putamus vel ipſis Ethnicis nonnulla interdum divinitus contigiſſe ſomnia, donumque fortaſſe eorum alicui tributum eſſe ea declarandi. Exiſtimo enim (ut unum

ſal-

ſaltem afferam exemplum) haudquaquam ſine Deo ſomniaſſe Mandanen Cyri matrem, cum ſibi ex utero vitem producere viſa eſt, quae totam Aſiam obumbraret. Indicium enim fuit (*Herod. l.* 1.) imperii totius Aſiae, quam Cyrus occupavit. Sed ut Homerum repetamus, confingit alio loco (*Odyſſ.* 19.) e duabus portis ſomnia ad nos exire, quorum quae ſubvolant per portam corneam vera ſunt, quae per eburneam vana; ubi ſignificare voluit, ut lib. 8. apophthegmatum interpretatur Eraſmus, eas demum res indubitatae eſſe fidei, quas oculis contuemur, pleraſque vero, quas ex alieno ore accipimus, eſſe fabuloſas. Corneae ſiquidem portae involucro oculos deſignavit ob coloris ſimilitudinem; eburneae vero loquentium os ob candorem dentium, qui non ultimum loquelae inſtrumentum ſunt. Sed cur ubi arceſſendus eſt Chalcas, qui cauſſam malorum retegat, atque interpretetur, ſomnii ſimul meminit Homerus, ſimulque augurii? Quia ad idem plane officium ſpectabat & ſomnia interpretari, & auguria evolvere. Non mirum igitur, ſi Poëta utrumque coniunxerit, & una cum augure coniectorem ſomniorum nominaverit. Verum Chalcas quamvis ab Achille extimularetur, ut audacter reſponſum daret, peſtiſque graviter deſaevientis latentem cauſſam proferret in medium, aegre admodum obſequutus eſt, ne Regem Agamemnonem, ad quem mali origo referenda erat, laceſſeret, eiuſque offenſionem incurreret. Aiebat

bat enim fortiorem eſſe Regem privato homine, quando illi iraſcitur, qui proinde nequit cum eo confligere, ſeſeque ab eius telis defendere. Nam etſi videatur Rex in praeſentia iram compeſcuiſſe, offenſionem tamen recordatione fovet, & vindictam meditatur. En vobis Homericos verſus, qui talem Chalcantis ſententiam complectuntur.

Κρεῖσσον γὰρ βασιλεὺς, ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηϊ.
Εἴπερ γάρτε χόλον γε καὶ αὐτῆμαρ καταπέψη,
Αλλάγε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον, ὄφρα τελέσση
Εν στήθεσσιν ἑοῖσι. ———

Eos autem hoc modo Latinitate donavimus.

Nam potior Rex eſt, cum eius petit ira minorem,
Infirmumque virum; nam etſi cito concoquit illam,
Dum tamen explerit, manet alta mente repoſta.

Quam vere ac prudenter ſentiret Chalcas, ſatis oſtendunt Regum exempla propter adhibitam in ipſos increpationem ira aeſtuantium, eoſque miſere, qui ſe increparunt, ulciſcentium. Ex quorum immenſa copia unum ſeligo. Magnum illum Alexandrum memoria repetite, auditores, qui a tot tantiſque ſcriptoribus, qui de illo meminerunt, congeſtis laudibus mactatur. Optima indole a natura praeditus patrem habuit educatorem diligentiſſimum, Ariſtotelem vero ſapientiſſimum praeceptorem. Philoſophiae, ceteriſque di-

diſciplinis, quae animum formant, multa cum laude navavit operam, multumque in illis progreſſionis fecit. In bellica vero virtute adeo ſupra omnes excelluit, ut paucorum annorum ſpatio nationes longe plurimas ſuo ſubiugarit imperio. Quapropter in eum celeberrimus ille verſus Homericus a multis ſaepe iactatus eſt (*Il.* 3.)

Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής.

Utrumque eſt, Rex nempe bonus, pugnator & acer.

Nihilominus cum is eſſet Alexander, nonne adeo inſigniter deſipuit, ut non ſolum nobilium, ac praeclarorum virorum, ſed vel homuncionum viliſſimorum adulationibus mirum in modum oblectaretur? Nonne regni poteſtate, atque amplitudine non minus quam vino liberaliter hauſto temulentus tam laxas iraſcenti animo permiſit habenas, ut Clytum, quem ſingulari benevolentia proſequebatur, quod ſe libere admoneret, reprehenſionis impatiens ſuis ipſemet manibus tamquam ſaeviſſimus carnifex inter epulas ultimo affecerit ſupplicio? Adeo periculoſae opus eſt plenum aleae liberius Regem alloqui, gravibuſque verbis redituris in iugulum redarguere. Nam ſatellites, lictores, & praecones, ut Iſocrates ad Dionyſium iuniorem ſcribit (*ep. ult.*) & altiſſimi adeptio ſolii caligo ſunt Philoſophiae, & longiſſime a virtutibus ſeparant, atque ſeiungunt. Πρόπομποι, ϗ ῥαβδοῦχοι, ϗ κήρυκες,

ϗ

ϗ θρόνων ὑψιλοτάτων ἐπίτευξις φιλοσοφίας εἰσὶν ἀχλὺς, ϗ διαιρετικώτατος πέφυκε τῶν ἀρετῶν χορισμός. Quam ſane vitae ſuperbiam, dum renuebat Agamemnonem coarguere, prae oculis habebat Chalcas, reputabatque animo propter eam Regum pleroſque increpationem non admittere, caſtigatoſque remordere. Quid autem laeſo iratoque Rege terribilius? Fulmen eſt, ubi cum poteſtate atque imperio exardeſcit iracundia. Nam ſi privati homines, cum ſe putant indignius habitos, & ab alio quopiam paris conditionis homine re, vel dictis offenſos, ſaepe neque legibus, neque legum ſuppliciis compeſcuntur, quin iram expleant ulciſcendo, quid de Rege exiſtimandum, qui nullis ſe teneri legibus arbitratur, nullumque metuit ſibi irrogari ſupplicium? Quid itaque mirum eſt, ſi vel ii, qui apud Reges familiaritate & gratia plurimum valent, ne hiſcere quidem in eorum vitia umquam ſuſtinent? videlicet ſciunt, quantum vehat periculi Regem reprehendendi libertas. Quemadmodum enim leo, qui & ipſe inter terreſtres belluas regiam obtinet appellationem, cicur omnino factus eſſe aliquando videtur, ut & ore, & cauda tamquam leniſſimus canis iis, quorum conſuetudini aſſuevit, blandiatur; at ſiquis vel minis vel plagis caſtiget, amicitiam continuo obliviſcitur, leonemque ſe eſſe meminit, & caſtigantem miſerabiliter diſcerpit; ſic etiam Rex etſi aliquem ſibi haerentem habeat, quo familiariſſime utatur, quem ſingulari amore complectatur, ludo, iocis, convivio ſocium

cium adhibeat, tantumque non ſceptro ſibi parem honoret; ſtatim tamen amorem convertet in odium, tumidos ſpiritus ſumet, ſummaque poteſtate, qua pollet, tranſverſe actus tamquam ſpretae maieſtatis reum habebit, punietque ſibi antea cariſſimum hominem, ſi paulo liberius ſe corripere audeat. Quod ſi fortaſſe iratus Rex principio conniveat, animumque premat, nequaquam fidendum; non enim iram reſtinxit, ſed diſtulit; nam ſicut doloſo cineri ſuppoſitus latet ignis; ita offenſi Regis animo licet ore clementiam praeferat, ira inſidet exitialis. Quod recte Chalcas iis verbis expreſſit

——— nam etſi cito concoquit illam,
Dum tamen explerit, manet alta mente repoſta.

Atque ita ſane Tiberium factitaſſe teſtatur Tacitus: *Animo revolvente iras*, inquit, *etiamſi impetus offenſionis languerat*, *memoria valebat*. Sed quorſum haec? dicet aliquis. Num illud inferre niteris diſputando, a nemine umquam Reges eſſe admonendos, umquam a nemine corripiendos? Num illud approbas, quod apud Senecam eſt? (*Thyeſt. act.* 2.)

——— ſanctitas, pietas fides
Privata bona ſunt, qua lubet, Reges eant.

Abſit, auditores, ut tam flagitioſam ſententiam amplectamur, tam improba praecepta comprobemus.

mus. Quinimmo eos quibus id muneris demandatum eſt, ut Regibus adſtent, ſuiſque fulciant conſiliis, ſuas abſque piaculo partes negligere non poſſe docemus. Sed eo tantummodo conſilio rem difficilem, ac periculoſam ex Homerici Chalcantis dicto aſtruimus, ut norint omnes, quanta opus ſit prudentia, ſagacitate, dexteritate iis, qui Regibus haerent, quoties commonendi Regis inſtet neceſſitas, ut & monitionem aequo animo Rex accipiat, ipſique omne a ſe periculum depellant. Numquam ſibi, quod apud Regem gratia maxime valeant, nimium ſecuritatem polliceantur. Numquam nimis praefidenter, utut ſibi benevolum, atque indulgentem Regem ſenſerint, alloquantur. Maxima reverentia atque formidine Regiam Maieſtatem ſemper obſervent. Omni ſtudio curandum ſibi ſtatuant, ut diſſimulanter, ac veluti per cuniculos, & quaſi aliud agentes, molliſſimaque fandi tempora praeſtolantes monita Regis animo inſinuent, verbiſque byſſinis (ſi cum Paryſatide Cyri, & Artaxerſis matre argutari libeat) utantur. Maxime vero Salomonis praeceptum in animo infixum habeant, ut nolint umquam coram Rege videri ſapientes.

DIS-

DISSERTATIO IX.

De Heroibus Homericis.

SYNOPSIS.

AGamemnon aſperioribus verbis Chalcantem perſtringit, plenaque arrogantiae reſponſione & ipſum laedit Achillem. Aeſtuanti iracundiae non ſtatim toto niſu obſiſtendum. Achillis in Agamemnonem convicia. Agamemnon Achilli aufert Briſeidem. Achillis ira quam fuerit pervicax. Zoili ſiris. Heroas non facit Homerus ab humanis vitiis immunes. Nullibi vitia, ſed ubique virtutem commendat. Famam, ſive traditionem, quae de Heroibus percrebuerat, ſecutus eſt. An Heroës Homerici ſint impii? De Boccaccii irreligioſis dicacitatibus. Nemo umquam extitit vitiis omnibus expers. Ulyſſes imprudens, dum inſultat Cyclopi. Aeneas credulitate Didonis abutitur. Quaevis aetas, ſive ſeculum quaedam peculiaria vitia, & virtutes habet. Mores ſimplices, & faciles temporum Heroicorum. Stultum eſt in Homero Gallorum, aut Italorum mores deſiderare.

REm plane ipſam putavit Chalcas vates, cum ſe Agamemnonis odium fore incurſurum praedicebat, ſi verum aperiret. Agamemnon ſiquidem quemadmodum ſacerdotem Chryſen, ſic & Chalcantem augurem verbis aſperioribus perſtrinxit, contumeliaque affecit. Quapropter Achilles, qui ad latentem peſtis cauſſam detegendam vatem impulerat, ſuamque illi adverſus Agamemnonem opem ſpoponderat, ea uſus, quae viro tali arguendi fiducia permittebatur, Agamemnonem audacter increpat; cuius ille increpationis impatiens acri admodum, plenaque arrogantiae reſponſione & ipſum laceſſit Achillem; ita ut Achilles incenſus ira diſtricto enſe iam iam in illius cervices irrueret, niſi repente affuiſſet Pallas, quae manum compeſcuit, movitque ut gladio abſtinens, conviciis tantummodo ulciſceretur. Quo facto monere viſus eſt Homerus, non eſſe ſapientis exaeſtuanti iracundiae ſtatim toto niſu contraire, ſed dandum illi eſſe aliquid, ne ſcilicet eius vis, ſi violentius, atque importunius retundere aggrediaris, admotas habenas averſata, quin remittat, magis, magiſque deſaeviat. Quemadmodum etiam ſapientiſſimus Legumlator Moyſes nonnihil indulgendum cenſuit violento Hebraeorum ingenio, quamobrem in legibus ſuis ait, *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publice argue eum*. (*Lev.* 19. 17.) Qua profecto lege, ut bene animadvertit Calmetius, ad maius impen-

dens

Digitized by Google

dens malum avertendum furentis animi aeſtui permiſit, ut ſe in amaras adverſarii obiurgationes effunderet. Achilles itaque Minervae conſiliis obſequens, acerbiſſimis Agamemnonem dictis coepit exagitare, quae non parum Achillis perſonam dedecere ſeverioribus quibuſdam Homeri cenſoribus viſa ſunt; non enim, aiunt, abiectiora convicia de medio vulgo ſumpta uſurpare poſſet vel ipſe Therſites. Achilles ſiquidem & *impudentem*, *& vulpina mente praeditum*, *& vino gravatum*, *& caninos oculos habentem* appellat Agamemnonem; ita enim ferme voces illae, quas in illum effundit, Latine redduntur. Verum criminationi huic alia diſſertatione occurremus; modo enim temporis anguſtiae, quibus coarctamur, ut rem penitus excutiamus, & quemadmodum neceſſe eſt evolvamus, nequaquam nobis permittunt. Sed Agamemnon ab Achille obiurgatus & maledictis impetitus non ſolum non reſipuit, nec ſe ad officium revocavit, ſed malum animi ſui propoſitum ad exitum perduxit, miſitque ad Achillis tentorium, qui Briſeidem per ſummam iniuriam ab eo auferrent. Cumque ille facile poſſet obſiſtere, miſſoſque praecones nullo negotio a ſe depellere, vel etiam obtruncare; maluit tamen ſinere, ut Briſeis abduceretur: tanta vero iracundia in Agamemnonem exarſit, ut neque fractae Graecorum res, ultimumque excidium tantum non paſſae, neque Aiacis, atque Ulyſſis honorificentiſſima legatio Neſtoris conſilio ad eum decreta, neque ob illatam iniuriam Aga-

memnonis poenitentia , & ab eo ſibimetipſi graviſſima impoſita mulcta , atque luitio , neque legatorum , quos inter cum ipſo arctiſſima neceſſitudo intercedebat , enixae preces , validiſſimaque , quae ab ipſis afferebantur , argumenta animum flectere , aut delinire potuerint . Vah praeclaros , atque inclytos Heroas Homericos ! Vah egregios viros commendatione plane dignos , epicique carminis praeconio celebrandos ! Ita ſane Homerum ſceleſte irrident , naſoque ſuſpendunt , qui gloriolam e tanti vatis reprehenſione aucupantur . Iam vero Zoilus quidam Sophiſta Amphipolites Ptolemaei Philadelphi temporibus in Homerum librum audaciae , & conviciorum pleniſſimum conſcripſit , in quo poëtarum omnium principem , quem omnis aetas ſemper ſuſpexit , in multis turpiter lapſum , & a decoro ſaepiſſime aberrantem redarguebat . Verum nullam aliam tam inſignis impudentiae mercedem tulit , quam peſſimam , qua mulctatus eſt , necem . Alii ſiquidem iuſſu Regis cruci affixum volunt , nonnulli a populo lapidibus obrutum eſſe ; alii Smyrnae vivum in pyram coniectum eſſe ; alii cum ex Aegypto in Graeciam rediiſſet , de Scironiis ſaxis fuiſſe praecipitem actum , quae ſunt in Attica inter Megaram , & Corinthum . In iis igitur , qui Homeri ſcripta impudenter carpunt , ac proinde ὁμηρομάστιγες appellantur , turpiſſimus iſte Zoilus chorum ducit ; neque enim ipſi novas afferunt criminationes , ſed eamdem ferme odioſam crambem repetunt .

Ve-

Verum quam iniquus in Homerum fuerit Zoilus, eiuſque aſſeclae, dum illum accuſant, quod decorum in Heroibus ſuis nequaquam ſervaverit; paucis ad veſtram eruditionem expediam, adoleſcentes. Equidem fateor Homerum Heroibus ſuis quaedam affixiſſe vitia, & interdum plane maxima, ſed in hoc nequaquam erraſſe, quinimmo prudenter egiſſe cum Ariſtotele, aliiſque ſapientibus viris ſentio. Noluit enim ipſe fabuloſos Heroas, atque eiuſmodi viros comminiſci, cuiuſmodi neque umquam extiterunt, neque umquam extabunt, ſed tales vividis, atque nativis coloribus depinxit, quales revera homines ſunt, quorum nemo umquam fuit a culpis omnibus immunis. Neque enim maximos Reges, invictoſque duces, ceteroſque ad celſiſſima quaeque dignitatum faſtigia evectos aliud eſſe dixeris, quam homines earum dignitatum ornamentis foris inſignitos, intus vero ceterorum hominum inſtar humanarum affectionum motibus exagitatos. Tunc plane erraſſet Homerus, maximaque profecto reprehenſione dignus exiſteret, ſi Heroum vitia vel commendaret, vel ad imitandum proponeret, quod certe numquam facere compertum eſt. Quinimmo vitiorum infenſiſſimum hoſtem ubique ſe praebet, eorumque turpitudinem ob oculos ſemper ponit, ut eam lector deteſtetur, atque declinet; contra vero nullo non loco virtutem inculcat, laudat, exornat, & vehementer in eius amorem pertrahit; ut divus Baſilius, cuius luculentiſſimum teſtimonium

nium maximi certe ponderis habendum puto, totam Homeri poëſin perpetuam virtutis commendationem appellare non dubitaverit (*de leg. lib. Gent.*) Et quidem neminem eorum, qui Graece periti verum, atque intimum eius carminum ſenſum introſpicere valent, niſi ad inanem quamdam ingenii, atque ſubtilitatis oſtentationem proloqui velit, inficias iturum arbitror, Homeri ſtudio non ſolum omnigena eruditione, quae ſcilicet ad artes, doctrinas, hiſtoriamque cognoſcendam maximopere conducat, mentem inſtrui, ſed etiam voluntatem ad morum honeſtatem, virtutemque proſequendam mirum in modum impelli. Ceterum cum non pluſquam centum quadraginta circiter annos a Troiano bello diſtet Homerus, haudquaquam debuit illos Heroës aliter effingere, quam recens adhuc traditio avorum teſtimonio accepta de ipſis ferret; adeo ut non leviter peccaſſet, ſi adverſus famam, quae omnium ſermone percrebuerat, poëſin ſuam inſtituiſſet. Nam ut recte monuit Horatius in arte:

Ficta voluptatis cauſſa ſint proxima veris.

Et rurſus

Aut famam ſequere, aut ſibi convenientia finge
Scriptor, honoratum ſi forte reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer
Iura neget ſibi nata, nihil non arroget armis.

Ac-

Accedit, quod quemadmodum tragoediae, ita & comoediae formam in ſuis carminibus nobis expreſſam reliquerit. Quem vero latet, pravos mores, atque vitia, etiam magnorum virorum in antiqua comoedia repraeſentari, ut ab iis, quae notari vident, atque perſtringi ſpectatores deterreantur? Verum quis ferat, aiunt, in Homeri Heroibus impietatem tantam in Deos? Nonne Agamemnonem inſigniter impium in Apollinem fuiſſe conſtat, cum eius ſacerdoti demiſſe petenti, ſe filiam numquam redditurum affirmat, conviciiſque laceſſitum tanto cum rubore, atque contemptu a ſe depellit? Quid tum, ſi conceſſerim? Nonne hanc Agamemnonis impietatem ſatis ſuperque reprehendere, graviterque condemnare viſus eſt Homerus, cum deſacvientem peſtem enarrat, qua illud ob ſcelus Graecorum exercitus afflictus eſt? Ad eum plane modum, quo etiam divinae Literae Davidis peccatum damnant, immiſſam a Deo ſimiliter in populum ad eius vindictam peſtilentiam memorantes (2. *Reg.* 24.) Sed illud etiam ad Homeri defenſionem dicere in promptu eſt, belli leges non magis Sacerdotibus tunc faviſſe, quam ceteris hominibus. Hinc Virgilius Aeneidos lib. 2. ait

——— nec te tua plurima Panthu
Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.

Cum itaque Agamemnoni iure belli Chryſeis ſacerdotis filia obtigiſſet in praedam, non putavit

tavit iccirco a ſe patri reddendam, quod eſſet ſacerdos; neque enim ſacerdotium hoc illi peculiare ius tribuebat, ut ſibi ab Agamemnone non denegaretur. Sed in eo peccavit Agamemnon, quod nulla dignitatis illius habita ratione parum humaniter accepit, indignisque verbis propulſavit; hinc iuſta in eum Apollinis vindicta. Atqui ſaepe, inquies, in Deos, atque in Iovem ipſum impias voces, atque contumelias Homerici Heroës effundere videntur, crudelem, iniquum, deceptorem appellantes; eritne etiam huic rei defenſioni locus? Erit ſane. Aures ſiquidem Iovis iis vocibus audiendis aſſueverant, ut non iis valde ſuccenſeret, qui effunderent. Religionis apud Ethnicos leges non magni ſceleris reos agebant, qui Deos perinde quaſi homines alloquerentur, & cum ipſis expoſtularent; neque valde curabant, ſiquis ira percitus contumelioſum aliquod dictum in Deos adhiberet, quos ſibi putabat infenſos. Neque vero in falſa, ac levi Ethnicorum Religione graviſſimae Religionis noſtrae ſeveritas, ſanctitaſque requirenda eſt. Quemadmodum prava erant, quibus innitebatur, principia, ſic & cetera fere vitioſa extitiſſe neceſſe eſt, quae principia illa conſectabantur. Verum quam multa excuſat inveterata quaedam conſuetudo? Nonne Ioannem Boccaccium Etruſcae eloquentiae patrem de Religione liberius loquentem, nec ſine ſacrarum rerum, aut perſonarum contemptu quaſdam dicacitates effundentem, defendere nonnulli, ac paene ab omni crimine

mine liberare conniſi ſunt, quia (ut ea erant tempora) ſcommata illa uſu eſſent recepta, eaque audientium aures minime reformidarent? Quae quidem defenſio utrum valida ſit, & ad tuendum Boccaccium ſufficiat, ipſi viderint; a nobis ſane nec probatur, nec admittitur. Nihilominus hinc licet eruere, ſi non prorſus tolli, at ſaltem multum imminui potuiſſe conſuetudine impietatem illam Heroum Homericorum, quae nobis obiiciebatur. Sane noſtris etiam temporibus nonnullae ludicrae locutiones per ora etiam piorum circumferuntur, quae Religionem meo quidem iudicio offendant, niſi eas dicendi, & audiendi uſus excuſet, qui facit ut nemini vel ullam, vel leviſſimam offenſionem pariant. Illud vero generatim, atque univerſe ad Heroum Homeri defenſionem dictum eſto, vitum bonum, atque laudabilem non ideo boni viri laude ſtatim excidere, quod aliquo humanae naturae vitio laboret; praeſertim cum nemo uſpiam gentium adhuc extiterit humanis vitiis omnibus prorſus expers. Ulyſſes itaque, exempli gratia, ex impiis ſaeviſſimi Cyclopis manibus vix elapſus, imprudenter egit, dum aliquantum remotus ab antro inſultare ipſi, atque illudere auſus eſt, novoque periculo caput ſuum obiicere; ſed ob hanc unam imprudentiam, ſolertis, ſagaciſque viri laudem, atque indolem nequaquam amittit. Aeneas apud Virgilium credulitate, atque infirmitate miſerae Didonis prave abutitur, non tamen pietatis, atque rectitudinis exemplum eſſe

deſinit. Profecto ſi Zoilos iſtos audire debeamus, neque David, qui adulterii, & homicidii ſcelus patravit, & quaedam alia, quae ſacrae Literae teſtantur, vir probus habendus erit, dignuſque qui alicuius epici carminis Heros conſtituatur, quem alioqui tam inſigni laude ipſemet Deus extulit, ut virum fuiſſe iuxta cor ſuum diſerte affirmaverit. Quid, quod quemadmodum quaevis aetas peculiares quaſdam virtutes oſtentat, ita etiam peculiaria quaedam habet vitia? Quae diligenter ex Horatii praecepto expendere debent ſcriptores, ſi ſolertiae famam ſibi comparare velint:

Tu quid ego, & populus mecum deſideret, audi.
Si plauſoris eges aulaea manentis, & uſque
Seſſuri, donec cantor, vos plaudite, dicat;
Aetatis cuiuſque notandi ſunt tibi mores,
Mobilibuſque decor naturis dandus, & annis.

Quamquam vero diverſas, ſibique brevi curriculo ſuccedentes humanae vitae aetates Horatii monitum attingat, cadere tamen aptiſſime poteſt in diverſas etiam aetates mundi, quae appellantur ſecula, quaeque utpote longioribus quibuſdam terminis definitae multo maiorem morum diverſitatem recipiunt. Cum itaque belli Troiani ſeculum, quod Homerus enarrandum ſuſcepit, longe alios a noſtris mores praeſetulerit, nondum faſtu, atque mollitie hominibus diffluentibus, ii, qui rudes ſunt antiquitatis, ple-

pleroſque Heroum mores ab Homero deſcriptos, veluti humiles, iacentes, atque ſordidos faſtidiunt; cum tamen ſiquis diligenter ſecum reputet, atque examinet, & antiquam eruditionem, quae iucundiſſima eſt, deguſtet, mores illi ſimplices, atque faciles, iiſque, quos ſacrae Paginae ſanctis illis, atque praeſtantiſſimis veteris Teſtamenti viris attribuunt, perquam ſimillimi, fore ut ſibi magis allubeant puto, quam deteſtabilis conſequutorum temporum luxus, qui ad noſtrum uſque ſeculum ita excrevit, ut iam magnitudine laboret ſua. Videtiſne, optimi auditores, Homeri criminatores in Homero id reprehendere, quod maxime laudare debeant? Atqui ego contra tunc Homerum criminandum eſſe cenſerem, ſi ab eius ſeculi moribus in ſuis carminibus defeciſſet, alioſque mores plane inſolentes arbitratu ſuo confixiſſet. Stultum eſt igitur in Homero Gallorum, aut Italorum mores, noſtrique ſeculi inſtituta deſiderare; qui non Italis, non Gallis, nec noſtrae aetatis bella, aut vitae conſuetudinem, ſed Troianum bellum ſuis Graecis deſcripſit, quod triginta circiter ſecula a nobis diſtat; & in moribus eius temporis exprimendis totus fuit.

DISSERTATIO X.

De Achillis conviciis, & Latina Homeri ad verbum verſione.

S Y N O P S I S.

Non Homerus, ſed interpretes, aut etiam ipſa Latina lingua culpanda eſt, quod multa ab eo dicta ſqualere videantur, & eſſe ſordida. Homerus, qualem exhibent interpretes, Helenae demortuae aſſimilatur. Siquis Boccaccium, atque Dantem ad verbum Latine interpretaretur, eos miſerrime deformaret. Achillis convicia ſingillatim explicantur, atque illuſtrantur. Canis impudentia deſcribitur. Agamemnon in pugna vitae, necisque habuit poteſtatem; in concione, ceteriſque, non item.

Superiore diſſertatione polliciti ſumus, auditores, ea nos convicia hodierno die fore expenſuros, quae Achilles ira percitus in Agamemnonem iactat, ut planum fiat, an erraverit Homerus, dum tam inclytum, ac generoſum ducem eiuſmodi contumelioſas voces effundentem facit, quibus, ut iſti aiunt Homeri cenſores, abiectiores alias, atque turpiores, neque ipſe Therſites effundere poſſet. Quod, ut recte exequamur, conſultum erit, ea ipſa convicia, ut Homerus habet, Graece prius audire. (*Il. l.* 1.)

Ω μοι

Ω μοι ἀναιδείην ἐπιειμένε, κερδαλεόφρον.
Οἰνόβαρες, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην τ' ἐλάφοιο.

Quae ad hunc ferme modum, verbum verbo reddentes, Latine verterunt interpretes:

Vah! impudentiam indute, vulpinis moribus praedite!
Vino gravate, canis oculos habens, cor vero cervae!

Equidem fateor haſce contumelioſas voces ita Latine redditas, admodum ſqualere, videri ſordida, tantoque viro, qui effundebat, indigna. Verum non haec Homeri culpa eſt, ſed interpretum; ſique interpretes ipſos excuſare velimus, Latinae linguae culpa eſt, ſive etiam aliarum, quae vocibus adeo pulcris, adeo nitidis, tantaque ſignificatione, tamque pleno ſono praeditis, ut ſunt voces Graecae, deſtituuntur. Quamobrem multa, quae in Graeco fonte praeſtantiſſima ſunt, venuſtatemque praeſeferunt elegantiſſimam, totidem verbis in alium quempiam ſermonem converſa tam miſere labefactata exiſtunt, ut non amplius delectationem legentibus afferant, ſed moleſtiam exhibeant. Profecto, qui Graecae linguae pulchritudinem nullis verbis exprimendam intime norunt, in eiuſque contemplatione totis ſenſibus defixi, maxima, quae inde enaſcitur, voluptate perfunduntur, aegre ferunt, & vehementer indignantur, huiuſmodi verſionum vitio apud eos, qui Graece neſciunt, Graece linguae, Graecorumque ſcriptorum dignitatem infringi, exiſtimatio-

mationemque convelli. Helenam ante mentis oculos vobis conſtituite, auditores, eiuſque ſine exemplo pulchritudinem, qua omnium aetatum foeminas longe ſuperavit, reputate. Nonne tam eximia corporis ſpecie ad miraculum exculta erat, ut maximam iis populis, cum quibus eſſet, felicitatem tribuere exiſtimaretur? Nonne totam Aſiam divini oris quibuſdam veluti praeſtigiis adeo illexit, ut Troiani ſenes eam inſpicientes ſuccenſendum non eſſe dictitarent, Graecos, Troianoſque pro muliere tantam praecellentis formae dignitatem praeſeferente graviſſimos belli labores tam longo tempore perferre? (*Il. l.* 3.)

Οὐ νέμεσις τρῶάς τε, καὶ εὐκνήμιδας ἀχαιοὺς
Τοιῇ δ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν.

Ne Troas culpes, validos & crura Pelaſgos,
Si talis miſcet diuturno femina bello.

Verum hanc ipſam Helenam, quae incredibile pulchritudinis prodigium fuit, quae tam blande intuentium oculos alliciebat, quae tam arcte omnium corda devinciebat, quae vel in graviſſimos viros tyrannidem exercebat, nullo praeſertim aſcito fuco exornata, ſed nativis deliciis ſatis ſuperque ferox, hanc ipſam, inquam, Helenam mortis iam falce demeſſam, & in loculo iacentem ſpectate. Cernitiſne genas illas, in quibus gratiae inſidebant, turpi ſqualore pallere, nitidum illum, tantaque cum ſuavitate tempera-

peratum colorem defloruiſſe, totum corpus ſine ſucco, ſine ſanguine miſerandum in modum tabuiſſe, oculos non amplius ardentes, & ignita tela eiaculantes, ſed prorſus extinctos, ſuiſque in orbibus incluſos, ut non iam ipſa ſpectantium animos ad ſe rapiat, ſed maximo horrore compleat? Siquis autem ex eo cadavere macie confecto de Helenae venuſtate, quae tam inſignis fuiſſe depraedicatur, ferre velit iudicium, nonne communi veſtro omnium ſuffragio ſtultum, dementemque haberetis? Vivam, inquitis, ſpirantemque Helenam, ut quis de eius pulchritudine recte iudicet, non demortuum Helenae cadaver oportuit intueri. Atqui idipſum de Graeca lingua vobis eſſe ſentiendum putate, auditores. Ea ſiquidem aliarum omnium (ſinite, ut quod in alio ſermone attigi, in hoc etiam repetam atque confirmem) formoſiſſima veluti Helena, eſt, nobilitate, elegantia, ſplendore, vi, ceteriſque ornamentis, quibuſcumque adeo cumulate praedita, ut graviſſimae ſimul, atque pulcherrimae reginae inſtar, celſiſſimo in throno ſedeat, ceteraſque omnes ſibi ſubiectas habeat, & ſceptro regat; at ſi eam apud interpretes intueamini, non iam Graecam linguam illam, maieſtate, atque forma enitentem videre licebit, ſed luridum quodpiam, atque tenebricoſum linguae Graecae cadaver. Homerus itaque in aliam linguam, maxime vero ad verbum converſus, vix ullum habet ſpiritum, ſed miſere iacet exuccus, atque exanguis, deſtructo robore, eliſis nervis, omni-

que

que lepore foedato, atque corrupto. Iis ſane, qui Graece periti ſunt, triobolares iſti interpretes, inſtar Virgiliani Mezentii ſqualidum, & putidum Latinae verſionis cadaver Graeco poëtae animato, & vivido alligare viſi ſunt. Quod ut planius faciam, peto a vobis, auditores; ſiquis eloquentiſſimum Boccaccium, divinumque Danthem, quorum eximia virtute, atque ſolertia vernaculus ſermo noſter in tam ſublimem locum evectus eſt, ut a ceteris nationibus maxima cum invidia ſuſpiciatur; ſiquis, inquam, ad verbum Latine interpretaretur, quemadmodum Latine redditus circumfertur infelix Homerus, nonne eorum pulchritudinem, atque praeſtantiam miſerrime deformaret? Quis eos ſine ſtomacho poſſet evolvere? Quis veſtrum interpreti illi non ſuccenſeret, diraſque omnes non imprecaretur, qui tanta audacia, tanta temeritate ſcriptores illos in eloquentia maximos fecerit infantiſſimos, tantamque illis iniuriam inferre non erubuerit? Credite, auditores, Graecam linguam, quae (veſtra pace dixerim) multo venuſtior eſt quam noſtra, longe maius damnum, longe graviorem iniuriam accipere ab iis, qui Latine verbo tenus Homerum ſunt interpretati. Sed iam ad Achillis convicia regrediamur. Qui probe Graecum ſermonem calleat, earumque vocum vim, ac nitorem aeſtimare valeat, plane videt non eumdem Achillis, atque Therſitae Agamemnonem increpantium eſſe ſermonem, quantumque inter utriuſque verba, quibus illum laceſſunt, interſit. Nihil

igitur

igitur humile, abiectum, ſordidum in Achillis increpatione apparet; nam voces illae *ἀναιδείην ἐπιειμένε, κερδαλεόφρον, κυνὸς ὄμματ' ἔχων*, pulcherrimae quidem in genere ſuo ſunt, neque viro, quem ira ad iurgandum impellat, indignae. Quod ſi cui ea loquendi formula *ἀναιδείην ἐπιειμένε*, *impudentiam indute* diſpliceat, Regius quoque Pſaltes illi diſpliceat neceſſe eſt, qui eadem fere utitur, ubi ait, *Induit maledictionem, ſicut veſtimentum* (*Pſ.* 108. 18.) quae tamen perquam optima eſt loquendi ratio, & ad rem ſtrenue ſignificandam aptiſſima. Nonne impudentia ceteris vitiis, quae hominem maculant, annumeratur? Vitia vero, & virtutes, nonne animorum veluti quoſdam eſſe habitus philoſophi docuerunt? Neque item Achillis dignitatem dedecet *vulpina mente praeditum* Agamemnonem appellare. Nonne enim & ipſe Chriſtus Dominus *vulpem* nuncupavit Herodem? *Dicite Vulpi illi*. (*Luc.* 13. 19.) Denique *canis oculos habentem* vocat, quemadmodum & Iſaias pravos paſtores *canes impudentiſſmos* dixit (56. 8.). Quis enim ignorat inter omnes animantes impudentia canes excellere? Maxime enim omnium animalium in propatulo coëunt; nihil verentur, non tenebras, non latibula turpitudini quaerunt. Quapropter merito Diogenes, eiuſque ſectatores propter inſignem, quam tum verbo, tum re impudentiam praeſeferebant, Cynici, ideſt canini philoſophi ſunt nuncupati. Euſtathius quoque notat impudentem morem *ἦθος κύνεον*, videlicet caninum dictitari.

Similiter Helenam κυνώπιδα paſſim appellat vates, inverecundae ſcilicet, perfrictaeque frontis, utpote quae relicto viro adulterum ſequuta ſit, & pellex adoleſcentis advenae, & barbari, quam coniux Spartani Regis eſſe maluerit. Cum igitur Agamemnoni impudentiam ſingularem exprobrare vellet Achilles, nullo ſignificantiore uti verbo potuit, quam eo, quo uſus eſt, κυνὸς ὄμματ' ἔχοντα, *caninos oculos habentem* illum appellando: Neque vero mirum debet eſſe cuiquam, Achillem ab Homero deſcribi cum Agamemnone rixantem, & conviciis non abſtinentem. Agamemnon ſiquidem ita rex erat, ut belli quidem rem arbitratu ſuo regeret, in ceteris vero pari paene iure cum aliis ageret; quod lib. 3. civilis doctrinae teſtatur Ariſtoteles; ubi tradit Agamemnonem in pugna vitae, neciſque habuiſſe poteſtatem, in concione, ceteriſque non item. Quapropter non ſolum Achilli Agamemnonem iurgiis laceſſere, ſed etiam ipſi Therſitae impune licuit; quamvis multum, ut aiebam, interſit inter Achillis, & Therſitae convicia. Itaque non aberraſſe a decoro magnum Homerum conſtat cum Achillem inducit adverſus regem Agamemnonem verba facientem liberius, & regem eius iurgia ſummo imperio non coërcentem; neque enim Graecorum dominus erat Agamemnon, ſed in conflictu tantummodo ſupremus Graecarum copiarum moderator.

DIS-

DISSERTATIO XI.

De iiſdem conviciis, Latiniſque Homeris verſionibus tum ad ſententias, tum ad ſingula verba conflatis.

S Y N O P S I S.

Nulla Homeri interpretatio, licet ſummo ſtudio, atque diligentia elaborata, Graecam elegantiam exaequare umquam poterit. Laus Annae Daceriae, quae Gallico ſermone nitidiſſimam Homeri interpretationem dedit. Similitudo quaedam Homerica a bobus ducta defenditur, atque illuſtratur. Epithetum βοῶπις *Iunoni a Poëta attributum, aptiſſimum eſſe oſtenditur, ac pulcherrimum.*

Quantum Homero nocuerint, eiuſque gloriam everterint Latinae verbo tenus interpretationes, quae circumferuntur, alia iam diſſertatione, ſi meminiſtis, oſtendimus, auditores, in qua convicia illa, quibus iratus Achilles Agamemnonem proſcindit, quamvis ſordere apud interpretes videantur, nequaquam tamen in Graeco contextu obſcura eſſe, aut Achille indigna abunde docuimus. At ſiquis, dicet aliquis, multo cum ſtudio, & diligentia ſive in Latinam, ſive in aliam linguam non verba ſingula perſecutus, ſed ex ſententiae ra-

ratione illum convertere enitatur, eritne unquam, ut in aliena lingua ita legentes afficiat, quemadmodum afficit in ſua? Nequaquam, auditores. Nam qualiſcumque demum interpretatio illa ſit, & quantavis interpretis ſolertia, verborumque ſplendore exornata, maximo ſemper aberit intervallo ab Homerica, quam nemo unquam aſſequetur, incredibili ſermonis elegantia. Tanta enim ſunt apud illum ſermonis lenocinia, tantus nitor, ac proprietas, tam ſonorus, leniterque fluens numerus, tam vividi, ſpirantesque, quibus res omnes expingit, colores, ut nativam pulchritudinem paene omnem in externo ſermone amittat, quum nullus ſermo alius e proprio penu paria ornamenta proferre poſſit, quibus illum conveſtiat. Ac veluti plantae, fruticeſque Americani amoeniſſimi ſoli generoſos illos, ac ſalubres ferentes fructus, quibus potum plane divinum conficimus, tanta ſuavitate, & dulcedine cumulatum, ut non amplius beatis Diis nectar invideamus; ſiquis in alia loca transferre conetur, quovis elaborante cultore minime proveniunt, fructumque vel nullum pariunt, vel tenuiſſimum, illumque exſuccum & inſuavem (quandoquidem ſibi convenientia loca, quibus innaſcuntur, & peculiare caelum illud ſingulariter amant) ſic & Homerus in Graeco ſermone florentiſſimus, atque uberrimus, carmina quovis melle dulciora, quovis nectare ſuaviora effundit; at ſi in alium ſermonem adſportes, laetiſſimo exſiccato virore, miſere

ſere ſterileſcit, & languet. Equidem puto nullam aliam Homeri verſionem ad haec uſque tempora prodiiſſe in lucem ea praeſtantiorem, quam Anna Daceria Gallico ſermone dedit, feminarum multo doctiſſima, neque Galliae tantummodo, ſed totius literariae reipublicae praeclariſſimum ornamentum; adeo ut vel literatiſſimis viris omnigena eruditione, in qua plurimum valuit, ſalivam movere poſſit. Homerum igitur Gallice interpretata eſt, atque illam interpretationem omni Gallicae linguae, quae ſane eſt elegantiſſima, nitore, ac proprietate mirum in modum inſtruxit, ut nihil ſupra in quavis elaboratiſſima verſione deſiderari poſſe videatur. Nihilominus Graecas Homeri veneres, Graecam elegantiam, Graecos lepores, ut ipſamet probe ſenſit, candideque faſſa eſt, exaequare minime potuit. Quantum enim picta lux diſtat a vera, tantum verſiones utcumque elegantes, ac nitidae ab Homeri ſtylo ac dictione ſemper ſuperabuntur. Fateor tamen, ſi hac diligentia, curaque Homericae verſiones omnes, ut deceret, concinnatae eſſent, non ea tunc in illis barbare, ſordideque dicta offenderentur, quae apud Graeci ſermonis imperitos non parum elevant tantum Vatem, faciuntque paene ridiculum. Atque id plane eſt, quod in laudatiſſima Daceriae verſione praecipue commendes, quod Homeri exiſtimationi atque honori maxime conſultum voluit, omnem operam, laborem, ac ſtudium impendendo, ut reddendis Homericis vocibus alias

alias contra in Gallico ſermone adinveniret, quibus ſententiae non humiliter conciderent, ſed multa cum dignitate aſſurgerent; quinimmo maluit unam, vel alteram interdum voculam omittere (quod eam licet Graece optimam Gallicae linguae ingenium non patiebatur) quam illam indecore vertere: in qua re veniam illi dandam eſſe exiſtimamus. Quamvis enim huiuſmodi praetermiſſione fidelis interpretis partes prorſus non impleverit; quod tamen admodum raro, & in rebus longe minimis fecit, nihil ferme auctori, quem interpretata eſt, detraxiſſe videtur, ſed eius dignitatem ſervaſſe incolumem, & e malis duobus prudenter elegiſſe, quod minus erat. Idipſum igitur & in caeteris in alias linguas verſionibus optaremus ſimiliter praeſtitum. Quamvis enim verſionem nullam ad Homericam perfectionem pertingere poſſe affirmaverimus, iterumque affirmemus; at ſaltem eius ſententiae alterius linguae elegantibus verbis, nitidaque dictione exprimi debuerunt. Nam ut convicia Achillis in Agamemnonem iactata, quae ut turpia a quibuſdam improbari diximus, repetamus, ſi quis ad ſingula verba confectam interpretationem illam abiiciat, videlicet: *Heu! impudentiam indute, vulpina mente praedite, vino gravate, canis oculos habens, cor vero cervae;* ſiquis, inquam, eam abiiciat, & hanc aliam paulo quidem liberiorem, ſed aliquanto elegantiorem, numeriſque alligatam reponat:

Heu!

Heu! pravis inſtructe dolis, velut improba vulpes,
Omnem qui exueris perfricta fronte pudorem;
Lumina habens, temulente, canis, ſed pectora cervae:

nonne horum conviciorum ſqualorem illum delitescere, & quampiam orationis lucem in iis suboriri arbitremini, neque amplius generoſo Achilli indecora eſſe? Adeo verum eſt tam mirificam in verbis latere vim, & plane incredibilem, ut ſaepe in huiuſmodi verſionibus vel unam voculam immutando totius ſententiae faciem immutaſſe videaris; & unum potius, quam aliud uſurpando vocabulum, aut nitentem, aut ſqualentem orationem feceris; pondus ſiquidem ac dignitas ſententiarum in verbis omnino ſita eſt. Quam rem ut ad veſtram uberiorem intelligentiam explanem, optimi iuvenes, qui me duce Graecas literas conſectamini; ſinite ut vobis in memoriam redigam ſimilitudinem illam, qua aptiſſime Homerus utitur circa finem libri decimitertii Iliados, ubi Aiaces virtute maximos, ac duo eiuſce belli fulmina, dum ante ſuas ipſorum copias uno quaſi iugo nexi ſtarent invicti, Hectoriſque, ac Troianorum impetum, murum illum Graecarum navium propugnaculum invadentium ſuſtinerent, duobus comparat bobus; qui pari greſſu, ac labore aratrum trahentes novale proſcindunt, largiorique inter laborandum ſudore diffluunt. Nonne recordamini, quemadmodum unus veſtrum non minus ingenii laude, quam maiorum ſplendore commendatus,

datus, quod Homeri adhuc inſuetus ad Graecam domi noſtrae haberi ſolitam exercitationem quopiam die audiendam acceſſiſſet, imaginem illam boum adverſantibus auribus exceperit; eo quod ea ſibi videretur explicare quidem rem dilucide atque appoſite, ſed illorum duorum Heroum dignitatem imminuere, illos veluti par boum exprimendo? Hanc vero in nobiliſſimo iuvene offenſionem ex eo naſci affirmabam, quod vocabulum illud *boves* tum in Latino, tum in Etruſco ſermone videatur ſordeſcere; quum contra vocabulum βόε, quod eo loco habet Homerus, nitidiſſimum certe ſit apud Graecos, nervoſamque habeat ſignificationem, praeſertim vero epitheto illo ſuffultum οἴνοπε, ſcilicet *nigri*, ita ut βόε οἴνοπε Latine reddatur *par boum nigrorum*. Atque hinc inferebam ad ſuam perquam pulcherrimae ſimilitudini illi dignitatem reſtituendam, elaborandum eſſe, ut amota voce illa in Latino ſermone plane obſcura, alia loco eius ſufficiatur, quae Latine ſplendeat. Haec vero ubi explanaſſem, voſque pro veſtra in me audiendo humanitate attentius accepiſſetis, ac probaſſetis, ſi quis igitur, tunc e veſtro coetu alter genere item, praeſtantique indole conſpicuus opportune ſubdidit, ſi quis igitur non *boves*, ſed *tauros* interpretetur (nam & tauri aratro inſerviunt) protinus apparebit ſimilitudinem hanc etiam Latine verſam eſſe praeſtantiſſimam. Dicenti haec una mecum annuiſtis, & plauſiſtis omnes, & tanquam praeceptorem, dum tam ſolertem

tem animadverſionem attulit, ſuſpexiſtis. Anne igitur inficiari quiſpiam poterit e peculiari verborum in unaquaque lingua dignitate, rerum quoque dignitatem maxime dependere; atque idcirco non Homero vitio dandum, ſi quid abiecte, atque indecore dictum in Latina verſione occurrerit, ſed iſtis e vulgo interpretibus, qui nimium ſerviliter vertunt, nullamque Latinae proprietatis rationem habent? Sed antequam ſermoni huic finem impono, nonnulla afferre placet, quibus vox illa βοῦς illuſtretur, oſtendaturque ſplendidam eſſe apud Graecos, ſuamque obtinere dignitatem. Mecum itaque voces illas perpendite, auditores, βούλιμος, βουγάϊος, βοῶπις, quae omnes particulam βου habent in compoſitione. Quae particula nihil quidem per ſe, atque ſeorſim ſignificat, ſed tamen eas voces, quas componit, intendendi, atque exaugendi vi praedita eſt a *bovis* nempe magnitudine, unde deducitur. Βούλιμος enim ſignificat *magnam famem*, βουγάϊος *magnum iactatorem*; βοῶπις vero frequens Homero Iunonis epitheton mulierem denotat, magnos rotundoſque habentem oculos, ac proinde decoros. Cum igitur nemo unquam, qui Graece ſapiat, dubitare poſſit, quin ſplendidae ſint, atque optimae voces illae, ſplendidam quoque eſſe vocem βου, ſive βοῦς, ex qua conflantur, neceſſe eſt. Atque hic obiter notandum, quantam iniuriam Homero fecerit Latinus interpres (quod in idem recidit, quod ſuperius diſputabamus) hemiſtichium illud βοῶπις πότνια ἥρη ſaepius a Poëta iteratum

ratum perperam vertendo *bovinis oculis veneranda Iuno*; quo nihil unquam ſqualidius, atque obſcurius Latine dici poterat. Quapropter nitore illo, quem Graece habet, proiſus extincto, miſerum in modum obſoleſcit, legentibuſque horrori eſt. Βοῶπις igitur (ut explicat Heſychius) idem eſt ac μεγαλόφθαλμος, ſive εὐόφθαλμος. Magni autem in muliere, latique oculi, ac multum hiantes pulcherrimi Graecis maxime, atque Hebraeis habebantur; ita ut pulvis, ſive medicamentum quodpiam confici ſoleret *ſtimmi* ſive *ſtibium* appellatum, quod Plinio teſte (*lib.* 33. *c.* 6.) ad prolatandos oculos idoneum mulieres adhibebant. Quem pulverem eumdem eſſe non dubitamus, atque illam fuliginem, qua Tertullianus ait ſui temporis mulieres oculos porrigere, oculorumque exodia producere conatas eſſe. Et quarto Regum libro de Iezabele legimus, oculos ſuos depinxiſſe ſtibio. Ex quibus omnibus liquido conſtat magnos oculos in muliebri oris ſpecie, ac dignitate non ultimum obtinere locum, ideoque prudentiſſime egiſſe Homerum, eos Deabus, praecipueque Iunoni attribuendo. Cur igitur nebulones iſti Homerum ludificantur, quod bovinos oculos Iunonem habere dixerit? Atqui non Homerus, ſed interpres ita ſordide, tantaque cum labe locutus eſt. Homerus ſiquidem elegantiſſime dixit βοῶπις πότνια Ἥρη, quae forſitan verba aliquanto melius, & concinnius verterentur

Ex-

Expaſſis oculis formoſa , auguſtaque Iuno ;

quod nemo unquam ſanae mentis tamquam indecore de Iunone dictum culpare poſſet . Homerum igitur principem poëticae facultatis reveremini , auditores , dictionemque illius ubique ſuavem , plenam ſucco , omnibuſque lenociniis emollitam lubenti , promptoque animo deoſculamini ; neque umquam ob interpretum ſive barbariem , ſive oſcitantiam deſpicatui habeatis , quod mea quidem ſententia in re literaria ſcelus eſſet omnium maximum , atque inexpiabile .

DISSERTATIO XII.

Iterum de Homeri verſionibus.

SYNOPSIS.

Amanti nihil iucundius, quam amicae laudes iterum, ac ſaepius pertractare, eiuſque pulcritudinem adverſus calumniatores tueri. Quo abſolutius exemplar, eo difficilius eſt illud imitando exprimere. Homerus epicum carmen occoepit, perfecitque. Homericae praeſtantiae amplificatio. Homeri elegantiam nullus interpres in aliam linguam transferre poteſt. Magis Homero verſiones obſunt verbo tenus confectae, quam quae liberiore ſtylo ſententias conſectantur. Tullius multa vertit e Graeco non ut interpres, ſed ut orator. Utilitas huiuſcemodi ſtudii, ac laboris. Interpretationes ad verbum quibus ſint utiles. Antonii Mariae Salvinii, eiuſque Italicae interpretationis commendatio. Quantum in deliciis Homerum habuerit Claudius Belurgerius.

Nihil dulcius, nihil iucundius amanti eſt, auditores, quam amicae laudes, in cuius amore intimis ſenſibus haeret, iterum ac ſaepius pertractare. Ac ſi quis forte in illam contumelioſus exiſtat, ut egregias tum corporis, tum animi dotes, quae illam exor-

exornant, ſive imperitus, ſive improbus rerum aeſtimator, nullo in pretio habeat, aut etiam conviciis laedat; difficile dictu eſt, quanta ſit amantis illius cura, & ſolicitudo, ut eam ſtrenue tueatur, vindicet, defendat, & os omnino calumniatoribus obſtruat. Iam vero finem nullum dicendi facit, donec amicae pulchritudinem, ornamenta, laudeſque omnes apud illos probari videat, qui improbabant. Et ſane illi parcendum putatis, ſi in eo ſuaviſſimae amicae, quam plus oculis diligit ſuis, officio praeſtando nimius appareat; quandoquidem amori nihil umquam eſt ſatis. Quae cum ita ſint, mihi quoque parcendum eſſe putate, humaniſſimi auditores, ſi poſtquam nonnullis habitis iam diſputationibus, Homerum adverſus criminatores quoſdam tutari pro mea facultate ſtuduerim, eiuſque incredibilem elegantiam ſingulareſque virtutes depraedicare, atque illas iſtarum, quae circumferuntur, verſionum culpa partim obſcuratas eſſe, partim prorſus everſas prolixe conqueſtus ſim, argumentum idem rurſus attingo, aliumque de eadem re hodierno die vobis ſermonem affero; ut ſimul immenſo amori, quo in diviniſſimum Vatem hunc afficior, pauliſper adhuc indulgeam, ſimulque vos, ornatiſſimi adoleſcentes, ad eum pari ſtudio colendum, amplectendum, exoſculandum impellam. Quod ut exequar, iam mecum illud animadvertite, quo nobilius, atque abſolutius exemplar, ſive archetypum eſt, eo laborioſius eſſe, ac difficilius rite illud imitando efformare, perfe-

cteque

Digitized by Google

&eque exprimere. Nam ſiquis mirabiles, vitaeque ſpiritu tantum non calentes, Raphaëlis Urbinatis, vel Andreae Sartii tabulas expingere ſtudeat, quamvis pingendi artem probe calleat, ſolertiamque omnem in peragendo opere impendat, ſi tamen aemulum opus illud ad archetypi rationem exigatur, ſtatim apparebit perfectionem, abſolutionemque illius cumulatiſſime aſſecutum non eſſe, nec linearum ductus, partium congruentiam, colorum temperiem, umbrarum receſſus, ac demiſſiones, exultantes luminum eminentias tam ſcite imitari potuiſſe, ut nihil amplius non in illo deſideres, ac requiras. Nullus poëtarum adeo numeris omnibus abſolutus extitit umquam, ſicuti Homerus eſt; qui teſte Paterculo, epicum carmen primus occoepit, perfecitque, quae certe Vatis huiuſce gloria eſt ſingularis; nam ceteri quidem rerum inventores rudes ferme ſunt, atque impoliti, & laudem utramque haudquaquam tulerunt, ut iidem res invenerint, & ad perfectionem adduxerint. Cum igitur quae Homerus edidit poëmata, veluti picturae ſint abſolutiſſimae (nam, quemadmodum monet Horatius, *Ut pictura poëſis erit*) utcumque ingenio valeat, ac diligentia, qui eorum exemplum effingit, ſcilicet in aliam linguam convertit, numquam exemplum dabit, quod ab archetypi laude, atque praeſtantia non longiſſime abſit. Quam laudem Vulcano tribuit Homerus (*Il. l.* 18.) quod tripodas vitali motu praeditos faceret, ita ut ſponte ſua, atque, ut Graeci di-

Digitized by Google

dicunt αὐτομάτως, ad Deorum coetus progrederentur, ipſemet meo quidem iudicio maxime promeritus eſt, auditores. Ipſum enim mirificum illum artificem eſſe iure optimo dixeris, qui brutis rebus, ſenſuque carentibus animam prope indere, & carmina vitae plena, fereque ſpirantia perpetuo fundere viſus eſt, ut Ariſtoteles affirmare non dubitaverit, e poëtis omnibus unum Homerum ſciviſſe nomina, & vocabula, quibus motus, & vita inſit, effingere. Cantus illius Sirenum cantus eſt, qui tanta voluptate audientium aures, mentemque demulcet, ut nihil umquam exaudiri poſſit iucundius. Non eum ex ſeipſo putes ea carmina confinxiſſe, ſed omnia certe ſibi afflaſſe Muſam illam, quam principio invocat, atque, ut ſibi adſit, precatur. Adeo facilis ubique eſt, ſolidus, nobilis, ac perſpicuus: tam leni dulcique ſono ubique fluit. Quodque magis admireris, ad tenues etiam, atque humiles quaſpiam res ſive compellandas, ſive deſcribendas quandoque deſcendens, tanta id cum ſagacitate, & iudicio facit, ut numquam in earum pertractatione concidat, & ſordeſcat; cum res quaelibet eius ſtylo deſcripta, atque enarrata quamdam recipere dignitatem, & paene dixerim alia fieri videatur. Ea ſiquidem fuit ingenii dexteritate, ut attollere atque exornare quidquid voluerit ſciverit. Nam mira ſolertia exilium rerum nominibus, ſonoras quaſdam, nitidaſque particulas admiſcet, quaeque per ſe ipſa ſeorſim caſura videbantur, ſive indecore exitura, epithetorum

aut

aut granditate, aut lepore opportune fulcit, quibus quidquid in rebus eſt turpitudinis, aut iniucunditatis probe tegatur, & deliteſcat. Uno verbo quidquid attrectat, protinus convertit in aurum. Verum, proh dolor! aurum illud purum putum, atque emicantiſſimum, multum palloris qualibet interpretatione ſubaeratum contrahit. Elegantiae illae, ac lepores, quibus nihil umquam fuit, nec eſſe fortaſſe potuit venuſtius, miſere apud interpretes defloreſcunt, & pereunt. Fatemur tamen multo maiorem aureo Poëtae iniuriam inferre, ut alio ſermone fuſe demonſtravimus, verſiones illas, quae nimis putide ac ſerviliter ad ſingula verba confinguntur, quam quae liberiore ſtylo ſententias conſectantur. Quamvis enim Homerum, qua elegantia, ac praeſtantia eſt, nemo umquam interpretum in aliam linguam transferre poſſit, at ſaltem quae concinne, ac decore adornantur verſiones, eius gloriam, atque exiſtimationem non ita deſtruunt apud eos, qui cum Graecas literas non noverint, Homeri intelligentiam ab interpretibus mendicare opus habent; quemadmodum nefarie peſſundant abſurdiſſimae illae interpretationes, quae loquendi modo agreſti, & ferreo ſplendidiſſima eius dicta obturbant, atque obcaecant, elegantiſſimumque Vatem tam hiſpidum, & confragoſum faciunt, ut plane horrori legentibus ſit; qui proinde cum apud huiuſmodi interpretes non intelligant, & dictione barbara, ſordidaque inquinatum videant, il-

lum

lum ſtomachantur ; & ludibrio , ac riſui ſceleſtiſſime habent . Verum non cuiuſlibet e vulgo eſt verſiones illas cum dignitate , atque elegantia concinnatas dare ; quae & laborem diuturnum , ingenium acre , ſolidum , ſublime , fecundum , in utraque lingua exercitatiſſimum poſtulant . Tullius , qui multa e Graeco in Latinum ſermonem tranſtulit , maximeque celeberrimas illas viciſſim accuſatorias orationes Demoſthenis , atque Aeſchinis , ut teſtaretur ab ea ſervili interpretandi ratione ſe abhorruiſſe , *Verti* , inquit , *non ut interpres* , *ſed ut orator :* eiuſque deinde veſtigia perſequuti Graecos ſcriptores tum in Latinam , tum in alias linguas doctiſſimi viri permulti converterunt . Quod ſane ſtudium , ac laborem utiliſſimum duco ; is ſiquidem qui ad hunc modum ſcriptores Graecos interpretatur , praeterquam quod linguam illam , ad quam eos transfert , diſertiſſime excolit , Graecae linguae cognitionem ſibi inſuper comparat abſolutiſſimam , dum in eius penitiſſimos receſſus huiuſmodi exercitatione penetrare neceſſe habet . Sed ne arbitremini , auditores , me ut prorſus inutiles , atque ineptas Homeri , aliorumque Graecorum ſcriptorum interpretationes verbo tenus confectas reiicere , ac reprobare , inficias haudquaquam iverim non levem ex iis linguae Graecae tirones percipere utilitatem ; dum illarum ope , ac ductu permulta extricant , atque expediunt , quae ipſi per ſe nimis laborioſe aſſequerentur . Sunt igitur interpretationes illae quaedam veluti faces,

quae ſtudioſis adoleſcentibus propter imperitiam principio verſantibus in tenebris viam aperiunt, & commonſtrant , gravemque laborem , & moleſtiam non parum allevant ; at ab iis , qui Graecas litteras ſibi aſciſcere neglexerunt , nolim umquam evolvi ; tum quia niſi cum Graeco textu conferantur , multis in locis non intelliguntur , tum quia nullam ingerunt legentibus nobiliſſimorum ſcriptorum iuſtam opinionem . Hanc in primis tironum utilitatem reſpexit deceſſor , ac praeceptor meus ſapientiſſimus , cuius nomen , & gloria nulla umquam oblivione delebitur , Antonius Maria Salvinius ὁ μακαρίτης , cum Homerum paene ad verbum interpretatus Italis auribus impertiit : quam verſionem etſi Graecae linguae ſtudioſis quam maxime utilem, iiſdemque non iniucundam , atque illepidam commendamus , attamen omnino probari non poſſe dolemus iis , qui Graece imperiti eam perlegunt ; non enim valent intelligere , quantum vir ille maximus laboraverit , dum Homericis veſtigiis inſiſtendo , Etruſcam ederet interpretationem . Ea ſiquidem eiuſce verſionis praecipua laus eſt , ut qua licuit elegantia , Graeca Homeri verba totidem ferme Etruſcis verbis , eodem etiam paſſim ſervato ordine , reddita ſint . Ceterum ſi ſibi libuiſſet , quis ignorat , licentius interpretando Homeri ſententias tam decora veſte ad Etruſcae linguae , & poëſeos leges conveſtire potuiſſe , ut iis quoque , qui Graeca nobiliſſima chlamyde indutum illum intueri nequeunt,

ma-

maxime probaretur ? Sed ut aliquando vela contrahamus , & ab huius argumenti pertractatione , in quo ſatis diu immorati ſumus , conquieſcat oratio , ſive ad ſingula verba , ſive ad ſententiarum rationem Homerum legatis converſum apud interpretes , credite , auditores , qualibet interpretatione vos fore illum habituros (verbo utar Hieronymi , quod de Gregorio Nazianzeno Latine verſo aptiſſime dixit) ſemper plus minus imparem ſui . Atque id tametſi ſatis ſuperque quo potui rationum pondere validiſſimarum totis tribus diſſertationibus probare contenderim, fieri tamen non potuiſſe ſentio, ut huiuſce rei certiſſimam veritatem iis omnino perſuaſerim, quibus Homerum Graece legere non liceat . Niſi enim allatis rationibus experientia teſtis accedat, eae fidem numquam pleniſſimam obtinebunt . At ſi quis Homeri venuſtatem experiundo intime norit , ita in eum afficiatur neceſſe eſt , ut ceteris ſcriptoribus quibuſcumque illum anteferat, & ab eius lectione vel centies repetita evelli nequeat . De Claudio Belurgerio Gallo , qui Graecas literas Pariſiis docuit , memorat Ianus Nicius Erythraeus , adeo in deliciis habuiſſe Homerum, ut ne in templo quidem deponeret, ſed in manibus, in oculis , in animo ſemper tuliſſe , & ſacrarum precum loco recitaſſe , obiiſſeque Alexandriae in itinere , quod inſano in poëtam amore , quinquaginta annos natus ſuſceperat , viſurus campos, ubi Troia fuit , atque omnia loca , quorum Homerus meminit . In qua certe re nemo erit , qui

eum non reprehendat, quod nimis inſigniter deſipuerit, & voluptate immodica ſe dementari ſiverit; at inde profecto liquet, quam immenſa ſit dulcedo illa, qua qui pervadit Homerum, capitur, & perfunditur. Aut igitur linguae Graecae cognitio aſſiduo ſtudio comparanda eſt, aut de Homeri pulchritudine cognoſcenda, eiuſque ſuavitate deguſtanda prorſus deſperandum.

DISSERTATIO XIII.

De Heroum, ac praeſertim Achillis lacrymis.

SYNOPSIS.

Probi viri, etiamſi ſtrenui, atque magnanimi, largi ſunt lacrymarum. Exempla e veteri Teſtamento petita. Chriſti lacrymae. Locus inſignis D. Baſilii de lacrymis. Omnis prorſus pietatis expers eſt, qui numquam lacrymatur. Flevit Achilles tum rapta ſibi Briſeide, tum extincto Patroclo. Lacrymae Achillis cum Isboſethi lacrymis comparantur. Lacrymae Agamemnonis. Locus Homeri cum Ieremiae verbis apprime conſonat. Fletus Eſavi. Heroum Romanorum ex ira flentium exempla tria. Socrates Achillem lugentem ſubſannat in Rep. Apoſtrophe ad auditores.

Qui ex Homeri reprehenſione laudem captant defoecatioris iudicii, tum multa alia tamquam indecore ab eo dicta condemnant, tum maxime frequentes Heroum lacrymas, praeſertim vero ipſius Achillis, qui rapta ſibi Briſeide magnam lacrymarum vim effundens ab eo inducitur. Annon, inquiunt, puſilli animi eſt, ac fracti liberaliter indulgere lacrymis, fletuque diffluere? Nonne faciles, effuſaeque lacrymae magnos, atque invictos

Digitized by Google

victos Heroas dedeceant, quas uti peculiare imbellicitatis praeſidium pueris maxime, & mulieribus tribuiſſe natura videatur? Equidem fateor, auditores, apud Homerum viros ipſos bellica virtute praeſtantes, vehementiore aliqua ingruente cauſa, quae ad flendum provocet, a fletu ſibi minime temperare, atque iccirco dictum illud de eis ſaepius occurrere

——— θαλερὸν κατὰ δάκρυ χέοντες

Fundentes teneras madido de lumine guttas.

Verum nequaquam abſurdum eſſe putamus lacrymari vel ipſos Heroas; nequaquam damus magnorum virorum dignitatem, & virtutem lacrymis infringi. Certum ſiquidem eſt probos viros, quantumvis ſtrenuos, invictaque fortitudine inſignes, naturali quopiam inſtinctu multum in lacrymas propendere; quibus proinde non imbecillitatis vitio vertendus eſt fletus, quemadmodum pueris, & feminis, ſed in ipſis ferme a probitate ortum habere lacrymas, bonaeque indolis argumentum eſſe exiſtimare debemus; ita ut apud Graecos vulgo iactatum ſit, atque in proverbium abierit hemiſtichium illud

——— ἀγαθοὶ δ' ἐριδάκρυες ἄνδρες

Vir bonus haud raro lacrymis impletur obortis.

Et

Et ſane quis inficias ire poſſit virtute maximos, rebuſque geſtis praeclariſſimos fuiſſe veteris Teſtamenti Heroas illos, Abrahamum inquam, Iacobum, atque Ioſephum, ut ceteros ſilentio obvolvam, quos votis ſuis Ambroſio teſte (*de Abr. Patr. l. 1. c. 2.*) Ethnicorum philoſophia non potuit aequare, cum minus ſit, quod illa finxit, quam quod illi geſſerunt? Atqui non ſemel eos eſſe lacrymatos ſanctiſſimus Moſes perhibet, idemque ſapientiſſimus, qui de Ioſepho praecipue ſingularis certe virtutis viro, & ad celſiſſimae dignitatis faſtigium apud Aegyptios evecto, diſertiſſimis verbis teſtatum reliquit, quod dum fratribus ſuis, quos diu de induſtria latuerat, ſeipſum aperiret, natura extimulante *vocem cum fletu elevavit, quam audierunt Aegyptii, omniſque domus Pharaonis* (*Gen.* 45. 2.). Sed quid opus in hiſce minoribus exemplis afferendis diutius immorari, cum exemplum omnium maximum, & luculentiſſimum praeſto ſit, ipſiuſmet videlicet Servatoris noſtri Dei; qui divinam perſonam ſuam dedecere nequaquam putavit lacrymas aeque ac ceteri homines fundere? Ipſum enim, qui numquam certe riſiſſe fertur, lacrymas ter fudiſſe divini Scriptores meminerunt. Flevit ſiquidem Hieroſolymam hoſtium obſidione vallandam, funditusque diruendam. Flevit in monumento foetentem Lazarum. Flevit denique affixus cruci, cum ſeipſum pro reparandis hominibus hoſtiam offerret, & cum laeſo, iratoque Patre ſceleſtos filios perduellionis reos conciliaret;

ait

ait enim Paulus (*Hebr.* 5. 7.) *preces illum cum lacrymis , & clamore valido obtuliſſe* . Voluit enim Chriſtus Dominus iis omnibus naturae noſtrae affectibus , qui vitio carent , omnique labe , & turpidine abſunt , aliquatenus indulgere. Quae cum ita ſe habeant , quis iam viris inclytis inhoneſtum dixerit , dum magnas in animo ſive moeror , ſive commiſeratio , ſive laetitia, ſive alius quiſpiam affectus turbas ciet , & ad lacrymandum invitat , ad rationis modum naturae obſequi lacrymas emittendo ? Si enim ceteris motibus e natura erumpentibus obſecundare (dummodo rationis leges , aureamque illam mediocritatem quis non praetergrediatur) ſummis quibuſcumque viris nequaquam eſt interdicendum, cur ipſis lacrymas etiam edere non liceat ad praeſens , atque opportunum laborantis animi levamentum ? Divus Baſilius nitidiſſimo , nervoſoque eloquentiae genere , quod ſibi peculiare eſt , & vel ipſi Demoſtheni invidiam faciat, de lacrymarum origine , quas triſtitia elicit diſputans , haec habet (*Hom. de Grat. act.*) A Graecis autem auctoris verbis recitandis , quod locus viſus eſt mihi eſſe longiuſculus , conſulto abſtineo ſatis eſſe ratus , ſi Latinam tantummodo afferam interpretationem . *Tunc ſane naturae impulſione flere contingit , cum cerebri cava excitatis a triſtitia vaporibus referta , per oculorum meatus , veluti per quoſdam canales humoris onus egerunt . Quamobrem cum res graves , ac moleſtae praeter expectationem audiuntur , fit tinnitus quidam , vertigoque ,*

&

& oculorum caligo. Siquidem ob vapores, quos calor in interiora contractus ſurſum emittit, vacillat caput, & circumagitur. Deinde mea quidem ſententia quemadmodum nubes in guttas, ſic craſſae vaporum partes reſolvuntur in lacrymas. Hinc etiam voluptas quaedam inter lugendum accedit moerentibus, quia quod ipſos gravabat, id latenter per ploratum eiectatur. Huius autem rei veritatem ipſa rerum experientia comprobat, & confirmat. Novimus enim multos graviſſimis aerumnis preſſos ſibi per vim a lacrymis temperaſſe, quorum alii poſthac in morbos immedicabiles inciderunt, in apoplexiam videlicet, paralyſimque; alii vero omnino ſupremum diem obierunt, quod eorum vires quaſi debili quodam fulcro deſtitutae, pondere triſtitiae frangerentur. Nam quod videre licet in flamma, quam fumus proprius, niſi exeat, & circumvolvatur, ſuffocat; id etiam in facultate, qua animal conſtituitur, fieri dicunt, nimirum extabeſcere illam & extingui prae dolore, ſi nullus ſibi exitus ad exteriora aperiatur. Hactenus ſapienter quidem, ac praeclare more ſuo Baſilius, qui certe praecipuam lacrymarum cauſſam declaravit. Saepius enim lacrymas a moerore, animique aegritudine, quam a laetitia ortum habere experimur. Facilius ſiquidem ad lacrymandum impellimur, vel cum gravi ipſimet calamitate affligimur, vel cum alios, qui nobis conſuetudine coniuncti ſunt, extremis malis conflictatos conſpicimus. Ceterum ubi lacrymas excutit gaudium, humorem tunc effundi propter

meatuum raritatem, qui a geſtientibus ſpiritibus dilatantur, plerique opinati ſunt philoſophorum. Verum utcumque ex oculis erumpant lacrymae; ab omni certe humanitate remotum, omniſque prorſus pietatis expertem dixerim illum, qui ſiccis oculis ſemper rigeat, neque umquam teterrimis aliorum, maximeque amicorum calamitatibus illacrymetur; quorum ferme cauſſa lugentes facit Heroas noſter Vates. Et revera Virgiliana Dido Aeneae duritiem incuſans ait (*Aen. l.* 4.)

Num fletu ingemuit noſtro? num lumina flexit?
Num lacrymas victus dedit? aut miſeratus amantem eſt?

Sed ut Achillis fletum, ob quem maxime hanc de lacrymis diſputationem inſtituimus, aliquanto accuratius, ſubtiliuſque examinemus, reputate vobiſcum, auditores, quam inſignem, gravemque iniuriam rapiendo Briſeidem viro inclyto, optimeque de Graecis merito fecerit Agamemnon; quam cum ille (quo erat ingenio) nullo modo concoquere poſſet, triſtitia, atque ira plane immenſa ſuperatus eſt. Animi vero perturbatione praevalente rationi, nigroque bilis exaeſtuantis fumo nativam paene vim enecante, ut naturae concederet, lacrymiſque conceptum dolorem aliquantiſper levaret, impos certe ſui adactus eſt. Quid novi quaeſo, quid abſurdi factum hoc, quod omnino ſecundum naturam eſt, faſtidioſis iſtis cenſoribus afferre poſſit? Hominem Laconicum obiurgavit quidam, quod

pror-

prorſus fletui, & lacrymis ex intimis viſceribus manantibus indulgeret. At is libere, reiectaque omni diſſimulatione. *Quid* (inquit) *facerem? non enim ego, ſed natura mea mihi excutit fletum.* Τί πάθω, φησίν; οὐ γὰρ ἐγὼ αἴτιος τούτου, ἡ φύσις δέ μου ῥεῖ. (*Ael.* 9. *c.* 27.) Huc pertinet illud Capitolini de Marco philoſopho. Cum ille mortuum educatorem ſuum fleret, flentemque miniſtri aulici vellicarent: *Permittite illi* (inquit Antoninus Pius) *ut homo ſit, neque enim philoſophia, vel imperium tollit affectus.* Quid mirum igitur, ſi Achilles, quantumvis magnanimus, atque invictus, & hoc priore libro ob illatam ſibi iniuriam, raptamque puellam fleat, fleatque rurſum libro decimo octavo, ploratuſque acerbos edat, luctuque contabeſcat ob Patrocli auditam necem, quem alteram partem ſui extrema linea amabat, & ferebat in oculis, natura ſcilicet impellente illum maximo angore preſſum ad lacrymas? Summum potius Poëtae iudicium, ac ſolertiam animadvertere, admirarique debemus, qui flentem quidem illum inducit, ſed ratione eius ingenio conveniente, a ſociis videlicet remotum, ac ſeiunctum. Vir enim tam celſo, generoſoque animo cavere debuit, ne lacrymis diffluens, humanaeque imbecillitati ſuccumbens a ſociis conſpiceretur. Cum Isboſethus Saulis filius lictores miſiſſet, qui Phatueli uxorem, cui nomen Michol, abriperent, perhibent divinae Literae, quod dolore victus *ſequebatur eam vir ſuus plorans* (2. *Reg.* 3. 16.). Lacrymas utriuſque in

R 2 eo

eo ſimiles agnoſcere licet ; quod ex pari enaſcebantur cauſſa ; flendi tamen modo multum a Phatuele diſſidentem Achillem obſervo. Illum lacrymarum non pudet, eaſque palam effundere ſibi probro non ducit ; hic vero plorat clanculum, lacrymas occulit, ſibique putat, ſi cui pateant, indecoras. Verum non unus Achilles apud Homerum ob iram flevit ; Rex etiam Agamemnon Graecorum concioni reditum in patriam infecta re, Iovis auctoritate ſuaſurus, ex indignatione, pudore, atque angore fleviſſe dicitur ; cuius lacrymas affatim affluentes ita Vates deſcripſit

Ἴςατο δακρυχέων, ὥσπερ κρήνη μελάνυδρος,
Ἥτε κατ' αἰγίλιπος πέτρης δνοφερὸν χέει ὕδωρ.

Quos verſus nos ita Latine ſumus interpretati.

Flens ſtabat, riguus ceu fons, qui largiter undam
Umbroſam effundit ſcopuloſo e vertice ſaxi.

Qui plane Homeri locus cum Ieremiae verbis apprime congruere mihi viſus eſt, ubi effuſiſſimas lacrymas optat Propheta, quibus impendentem defleat Hieroſolymae calamitatem ; *Quis dabit*, inquiens, *capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum ?* (9. 1.) Atque hic verbis exprimere ſatis nequeo, quantam percipiam animo delectationem cum Homeri dicta cum aliis divinae Scripturae conſimilibus locis confero.

Nul-

Digitized by Google

Nullibi enim Homericam ſapientiam altius aſſurgere puto , nobiliuſque ſeſe producere , ac demonſtrare , quam ubi ſimiliter , ac divinae Literae ſentire viſus eſt . Quapropter ſinite , adoleſcentes , ut huiuſce conſenſus , qui paſſim ſeſe offert , ſpecimen aliquod identidem praebeam , quo ſimul animi mei voluptati obſequar , veſtraeque ſimul conſulam utilitati . Ceterum ſic res habet , ut modo dicebamus , auditores . Tam vehementer animum percellit ira , permiſcet , tranſverſum agit , ut vel eos , qui animo ſunt elatiore , ferinis moribus , virtute indomita , ad plorandum adigat . Quis Eſavo moribus aſperior ? Quis elatior ? Quis truculentior ? Nonne vero inflammatus ira , & furore exagitatus , magno eiulatu ille flevit , quod benedictionem patris praeripuiſſet ſibi frater Iacobus ? (*Gen. 19.* 38.) Quod ſi aliqua Romanorum etiam Heroum ex ira flentium deſideratis exempla , pauca quaedam libenter afferam ; non enim licet pluribus recenſendis longius evagari . Q. Caecilius Metellus amicorum literis certior factus Numidiam C. Mario Conſuli plebiſcito datam , quem aemulabatur , exaeſtuante ira & ipſe dicitur illacrymaſſe . C. Marcius Coriolanus in exilium abiens , cum iniuriam , quae ſibi inferebatur , ſecum tacitus reputaret , remotis arbitris , Achillis inſtar , in uberes lacrymas erupiſſe fertur . Denique C. Iul. Caeſar traiecto Rubicone acceptas iniurias , ſimulque ſua in Remp. merita commemorans pro concione fidem militum flens , ac veſte e pectore diſciſſa invocavit . Qua-

les,

les, quantoſque viros, Dii boni! nominaverim, probe noſtis, quotquot adeſtis, omnes, eruditiſſimi auditores. His autem omnibus graviſſimus angor, atque ebulliens in pectoribus ira expreſſit lacrymas, quod cum eximia eſſent virtute, tantamque gloriam, opes, potentiam Reipublicae peperiſſent, nimis putabant indignum, ſibi ab ingratiſſimis civibus maleficia, atque iniurias rependi. Sed adhuc rigent fletus Achillei reprehenſores, allatiſque rationibus minime emolliuntur, quin prorſus Achilli indecoras lacrymas damnent. Qua enim erat virtute, ac generoſitate, abſurdum omnino putant, ut ploraret, optimoque iure aiunt a Socrate in Rep. Achillem lugentem ſubſannatum eſſe, poëtamque noſtrum mulctatum, quod indecora viro illi magnanimo, ipſiſque immortalibus Diis attribuerit. Sed iam ſatis ſuperque peculiari diſputatione expendimus, auditores, quo in Homerum animo, qua mente Socratem induxerit Plato in ſua Republica haec de Homero ſentientem, ac ſancientem. Eam igitur, ſi forte animo excidit, inter ſuperiores expoſitam, iterum conſulatis volo. Verum etſi daremus, turpes Achilli fuiſſe lacrymas, queſtum, eiulatum, quid tum? Turpis etiam Achilli fuit, vitioque danda teterrima ira, deteſtabilis pervicacia, inexorabilis animus. Iam vero non ſemel docuimus, quod Heroas non ab humanis vitiis Homerus liberat, & cum ipſi quoque homines ſint, facile permittit, ut humana patiantur. Quod conſultiſſime ab eo factum

ctum eſſe, fuſe alio ſermone, ſi meminiſtis, oſtendimus, adoleſcentes; rationeſque tum allatas, nequaquam iterum in praeſentia afferendas cenſemus, ne eamdem crambem inutiliter, moleſteque repetamus. Supereſt modo, optimi auditores, ut ſingulari humanitati veſtrae gratias agam quam maximas, quod ad haſce meas lucubrationes excipiendas, quae quam doctrina ſint, eloquentiaque inopes probe ſentio, tanta benevolentiae ſignificatione acceſſiſtis, moleſtiamque omnem, ac taedium generoſe ſuperaſtis. Et quoniam aeſtas, quae impendet, ſolemneſque aeſtivae feriae ab hac moleſtia ad plures menſes iam vos eximunt, rogamus, atque obſecramus, ut recurrente ſimiliter anno, cum nimirum haec rurſus literaria de more patebit ianua, eadem frequentia, qua conſueſtis hactenus, & me, & locum hunc honorare pergatis. Quamquam enim imbecillitas noſtra, ac tenuitas vix iucundum aliquid, novum, reconditum ampliſſimae eruditioni veſtrae afferre queat, nobiliſſimus tamen hic conſeſſus veſter mihi maximopere exoptandus eſt, eximiuſque favor, & gratia enixis precibus imploranda. Ea ſiquidem haerentem me, nutantemque, commiſſamque provinciam reformidantem recreabit non parum, & confirmabit, ſtudioſiſque adoleſcentibus, quorum in primis utilitatem hae noſtrae ſpectant diſputationes, magno erit ad Graeca ſtudia alacriter proſequenda ſubſidio, atque incitamento.

DIS-

DISSERTATIO XIV.

De Heroum mendaciis.

SYNOPSIS.

Plato, aliique mendacium, quod vocant officioſum, honeſtum eſſe docuit. Mendacium a Chriſtianorum doctrina eliminatum. Ethnici Heroës ad Chriſtianorum Heroum exemplum non potuerunt effingi. Odium, atque inimicorum ultio antiquis conceſſa, a Chriſto vetita. Locus Iſocratis de ultione inimicorum. Mendacia Ulyſſis, aliorumque Ducum ad militaria ſtrategemata facile reduci poſſunt. Chriaſtianos mentiri dedecet. Qui mentitur ſermonis facultate perverſe abutitur, naturaeque conſilium irritum facit. Mendacem pica exprimit. Humanam ſocietatem mendacium evertit. Mendacium natura ſua malum nulla res, quae illud circumſtet, honeſtum facit. Mendacia ſeipſa produnt. Homerus ipſe a mendacio deterret. Proverbium agere Graeca fide *explicatur.*

QUod humana vitia Heroibus ſuis Homerus affixerit, & Achillem quaedam in Agamemnonem convicia iactantem, & ob raptam ſibi Briſeidem lacrymas effundentem fecerit, nequaquam ob id reprehendendum eſſe, habitis ſuperiore anno diſputatio-

tionibus ſatis, ſuperque, ſi meminiſtis, oſtendimus, praeclariſſimi auditores. Sed quoniam importuni quidam obtrectatores mendacia item, quae Homerici Heroës identidem proloquuntur, magnificamque illam, quam de ſe habent, praedicationem, nobis obtrudunt, eaque duo ſibi valde diſplicere in Homeri carminibus dictitant, duplicem accuſationem hanc aeque atque alias, refellere ſtatuimus, ne cum in ea loca inciderimus, huic Heroum defenſioni manum iterum admovere neceſſe habeamus. De mendaciis igitur hodierno die, altera vero diſputatione de laudatione, qua ſe praedicant Heroës, breviter diſſeremus. Verum antequam Heroas Homericos culpae obnoxios, gravique reprehenſione dignos aliquis exiſtimet, ſi quando mendacio uſi eſſe reperiantur, opus eſt, ut doctrinam, quae antiquitus de mendaciis tradebatur, probe teneat. Vidimus enim ſuperiori alia diſſertatione noſtra hanc ignorationem in cauſſa eſſe, cur imperiti homines non minus inique, quam impudenter in antiquis Scriptoribus ea reprehendant, quae minime reprehendenda ſunt, dumque maxime omnium perſpicaces ſeipſos oſtentare volunt, atque acutos, caecutire in Sole deprehenduntur. Non defuerunt ſiquidem inter Ethnicos magni nominis, ſummaeque doctrinae viri bene multi, qui mendacium illud, quod officioſum appellant, haudquaquam morum honeſtatem dedecere, ſed honeſtum, licitumque eſſe docuerunt. Nihil enim pulchrius aiebant eſſe mendacio, quod tibi pro-

deſt, & alteri non nocet. Plato quidem libris de Republica, Diis revera inutile eſſe mendacium tradit, hominibus tamen utile aliquando eſſe, & neceſſarium, ut eo tamquam medicamento utantur; Magiſtratui autem, ſi cuiquam alii, mentiri fas eſſe, hoſtium, civiumque ratione, ad communem civitatis utilitatem (*lib.* 1. *&* 3. *item* 5.) Ubi ſane animadvertendum eſt Platonem hanc tradere doctrinam in eo tractatu, in quo praeſtantiſſimam illam civitatem vitiorum omnium expertem, omniſque honeſtatis cultricem inſtituit, ac fingit. Quid quod ex Chriſtianis quoque Scriptoribus nonnulli in Platonis ſententiam audacter iverunt, eamque ſine piaculo admitti poſſe tum verbo, tum ſcripto docuerunt? Nonne vero veterum ſanctiſſimorum patrum complures Platoni aſſentiri viſi ſunt, dum alii Abrahae ſimulationem in celanda uxore, mendacia obſtetricum Aegyptiarum, mendacium item Ruthae a crimine eximunt; alii vero ipſum etiam Iacobum patri fucum facientem, ſeque eſſe Eſavum, qui primum erat genitus, doloſe affirmantem culpa liberant? Ut ſilentio praeteream Origenem, Caſſianum, alioſque non paucos, qui Platonis de innocuo mendacio documentum tuendum, defendendumque palam ſuſceperunt. Equidem ſcio Chriſtianorum Doctorum communi ſuffragio conſequutis temporibus mendacium eſſe damnatum, prorſuſque a Chriſtianorum morum doctrina iampridem eliminatum. At Homerici Heroës, utpote Ethnici, hanc doctrinae per-

perfectionem, ſanctitatemque haudquaquam noverant, nec eam poterat illis Vates attribuere. Iam vero alibi docuimus, iterumque docemus, ridiculos plane eſſe, ac ſtultos, qui Ethnicos Heroas ad Chriſtianorum Heroum exemplum, ac normam vellent effictos. Plurimum intereſt inter vitioſam Religionem, & pravam, Religionemque ab omni culpa immunem, & undequaque ſanctiſſimam. Si quis antiquis hominibus crimini tribueret, quod acceptas iniurias ulciſcerentur, & inimicos odio proſequerentur, ob eam rem, quod Chriſtiana lex ultionem inhibeat, odiumque inimicorum damnet, nemo unus erit veſtrum, qui tamquam ineptum non derideat, veteriſque doctrinae ignarum non contemnat. Nonne enim Chriſtus Dominus legumlator noſter ſapientiſſimus putaſse veteres inimicorum odium eſse ſibi conceſsum diſertiſſime iis verbis aſſeruit *Dictum eſt antiquis, odio habebis inimicum tuum; Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros?* (*Matth.* 5. 21.) Perinde quaſi diceret; probe novi pravas Ethnicorum leges ultionem, & inimicorum odium iam permiſiſſe, aequitatique conſonum exiſtimaſſe, quinimmo animi magnitudini, virtutique adſcripſiſſe, ſi quis iniuriis ſeſe vinci non ſineret, ſed malum malo rependeret; verum a mearum legum rectitudine, ac ſanctitate procul eſto huiuſmodi pravitas, & culpa, procul a vobis inimicorum odium, ac vindicta; ipſos enim inimicos, qui vos laeſerint, maloque affecerint, ut ametis praecipio, veſtramque illis,

S 2 dum

dum tempus , & res poſtulabit , benevolentiam exhibeatis , iniuriaſque , quas accepiſtis , beneficiis compenſetis . Et revera , auditores , Iſocrates ille , qui paſſim Chriſtianam aliquantum videtur redolere ſanctitatem in ſuis praeceptis , quibus adoleſcentis Demonici mores ad omnem honeſtatem informat , odio tamen inſectandos , ulciſcendoſque inimicos docet : *Ὁμοίως αἰσχρὸν νόμιζε τῶν ἐχθρῶν νικᾶσθαι κακοποιίαις, καὶ τῶν φίλων ἡττᾶσθαι ταῖς εὐεργεσίαις*. *Non minus turpe ducas ſuperari beneficiis amicorum , quam vinci maleficiis inimicorum* . Quod vero de inimicorum ultione , & odio a nobis diſputatum eſt , idipſum de mendacio non abſimili modo affirmari poſſe videtur, auditores . Quemadmodum enim non veterum hominum culpa exiſtimanda eſt , ſi inimicos odio haberent , acceptaſque iniurias ulciſcerentur , ſed vitioſae Religionis , qua imbuti erant , ab huiuſcemodi odio , ac vindicta non deterrentis : ita ſi quando mentirentur , non ipſi valde reprehendendi ſunt , ſed ipſamet eorum Religio , quae non tam rigide , ac ſevere , quemadmodum Religio noſtra ſanctiſſima , mendacia deteſtabatur , ac vetabat . Si igitur principia haec prae oculis habeantur , quae ſane animadverti deberent ab iis , qui in Homerum inſanientes prava quadam obtrectandi libidine eius carmina convellere inſtituunt , mendacia Heroum paene omnia nec turpia eſſe , nec reprehenſionem mereri fatebimur . Profecto Ulyſſem , quem nullo non loco ſagacem , vafrum , ac verſipellem oſtendit Vates , li-

liberalius mendaciis indulſiſse conſtat. Verum illius mendacia officioſa fere ſunt, & ad illorum genus pertinentia, quae loquenti proſunt, audienti non obſunt. Pleraque item eiuſdem Ulyſſis, aliorumque Ducum mendacia ad militaria, ut vocant, ſtrategemata, revocari facile poſſunt, quae nemo non ſcit militibus ſibi invicem inſidiantibus haberi licita, ingenioque potius aſcribi, quam vitio verti, ſi quis hoſtem decipere ſagaciter valeat.

Quamquam vero Heroas Homericos hactenus tutati ſumus, magnaque ex parte, dum aliquoties mentiti ſunt, extra culpam poſuimus, cavetote, ornatiſſimi adoleſcentes, ne arbitremini, me mendaciorum ipſorum cauſſam defendendam ſuſcepiſſe. Mendaciorum etenim hoſtem me profiteor infenſiſſimum; maximeque optandum aio, ut mendaces ab hominum communione, quam adeo turbant, & commaculant, penitus abarcerentur. Illud autem tantummodo palam facere in animo fuit, Heroum mendacia partim ab infirma, vitioſaque Religione excuſari, partim ab ipſo vitae genere, quod profitebantur. Ceterum cum nobis Dei Optimi Maximi ſingulari beneficio melioris Religionis lumen affulgeat, quis iam mendacia non redarguat, odio habeat, perhorreſcat, cum per ea ſermonis facultate, qua a ceteris animantibus ratione carentibus ſecernimur, ac diſtinguimur, perverſe abutamur, ſapienſque naturae conſilium irritum faciamus? Uſus ſiquidem linguae, ac verborum ideo a na-

Digitized by Google

tura tributus eſt homini, ut quae animus intimo mentis receſſu excogitat, concipitque, aliis ad mutuum humanae vitae ſubſidium prodat, & patefaciat.. Qui vero mentitur, cum aliud mente gerat, aliud ore ſimulet, iniurioſus eſt in proximos, qui dictis eius fidem habentes, nihilque fallax ſuſpicantes miſere inducuntur in fraudem. Quam bene mendacem pica exprimit, & repraeſentat! Quemadmodum enim anteriore parte ſui candida illa eſt, poſteriore autem nigricat, ſic mendax amicum purum, ac ſincerum affatu primo ſeſe ſimulat, mox vero audientem decipit, & eludit. Quid deterius, quid infenſius ad humanae vitae amicitiam, ſocietatemque labefactandam, atque evertendam excogitari unquam potuit? Hinc plane liquet perpetuas inter homines ſuſpiciones exoriri; hinc nemini tutum eſſe fidere; hinc dolos ab omnibus ſibi cavendos; hinc fraudes ubique, deceptioneſque metuendas. O igitur humanae conſociationis, & foederis teterrimam peſtem, labemque nefariam! O deteſtandum ſcelus! O probroſum, turpiſſimumque crimen! Quod adeo verum eſt, ut vix ullum reperias, qui maxime non vereatur, & caveat, ne mendacem ſe deprehendas. Pudet enim quemcumque mendacii crimine coargui, quod cogitet, quantum hominum communioni mendacium officiat, quantumque probum, atque honeſtum virum mentiri dedeceat. Neque vero in animum inducite, optimi adoleſcentes, iuſtam aliquando adeſſe cauſſam, ut

quis

quis ſine ſcelere mentiatur? Mendacium ſiquidem, quod natura ipſa ſua illicitum eſt, & malum, nulla umquam re, quae illud externe circumſtet, licitum fieri poteſt, & bonum. Intereſt quidem plurimum, ut beatus Auguſtinus de mendacio diſſerens praeclare docet, qua cauſſa, qua mente, quo conſilio quid fiat. Verum ea, quae natura ipſa conſtat eſſe peccata, nullo bonae cauſſae obtentu, nulla boni conſilii excuſatione facienda ſunt. Alioquin & caſta adulteria dicas, ſi aliquo bono fine perpetrentur, & licere, ut pecuniam divitibus auferas, aut falſa teſtimonia vendites, ut quod egenis poſſis tribuere, tibi ſuppetat. Quamobrem mendacium, quod nemini umquam adhibere licet, reformidate, atque averſamini, adoleſcentes, candoremque illum loquendi amplectimini, qui tam pulchre, atque inſigniter mores exornat, ut vir candidus, & verax ab omnibus diligatur, ſummiſque laudibus efferatur. Turpe ducite, maximeque inhoneſtum illos aemulari, qui ut rebus ſuis conſulant, & lucellum aliquod ſibi parent, mendacio uti non exhorrent; decorum vero, gloriaeque plenum exiſtimate cum Xenophane ſentire, qui ad res inhoneſtas ſeſe timidiſſimum eſſe fatebatur; cum praeſertim experientia conſtet, mendacia ſeipſa prodere; & ſi quid interdum mentientibus credatur, cito ipſorum fallacias patefieri. Verum & Homerum ipſum adducere libet a mendacio vos deterrentem, quamvis enim ob rationes ſuperius explicatas Heroës ipſius liberari

poſſint

poſſint a culpa, dum mentiuntur, ipſe tamen ſapientia longe poſt homines natos maxima colluſtratus (quantam videlicet ab ea lucem humana mens pro naturae facultate poteſt recipere) mendacia damnare videtur, falſitatemque reprehendere, neque in ſuis ipſius Heroibus probare; inquit enim (*Il.* 4.)

Οὐ γὰρ ἐπὶ ψευδέσσι πατὴρ Ζεὺς ἔσσετ' ἀρωγός.

Nam Deus haud aderit mendacibus auxiliator.

Quod quamvis aliquanto remiſſius dictum ſit, cum Davidis tamen ſententia congruere videtur, ubi de Deo ait (*Pſ.* 5. 6.) *Perdet omnes qui loquuntur mendacium*. Sed quoniam de mendacio hodiernus ſermo a nobis eſt inſtitutus, non abs re erit, tamquam auctarium, adiicere paroemiae illius interpretationem, nimirum *agere Graeca fide*. Vulgo enim male audit natio illa, dum ſibi fere ab omnibus propter illud adagium inveterata quaedam mentiendi, fallendique conſuetudo obiici ſolet. Verum non ita profecto rem ſe habere, paucis accipite, auditores. Nil aliud ſiquidem proverbium ſibi vult, quam rem agere, non verbis, non ſtipulationibus, ſed praeſente pecunia. Quod tum Plauti, tum Euripidis auctoritate luculenter evincitur. Nam apud Plautum Clareta lena in Aſinaria ita loquitur; *Diem, aquam, Solem, Lunam, noctem, haec argento non emo; cetera, quae volumus uti,* Grae-

Graeca mercamur fide; ideſt numerata pecunia. Euripides vero in Iphigenia Tauricae habet, πιστὸν ἑλλὰς οἶδεν οὐδέν, *Graecia nequaquam novit fidem*; videlicet nemini in mercatu faciundo fidit, niſi ſtatim, ipſoque in loco pecunia numeretur. Mentiendi crimen non Graecis omnibus generatim, ſed ſolis Cretenſibus exprobratum eſt Menandri verſiculo, quem Divus Paulus ſuis in Epiſtolis adducit (1. *ad Tit.* 1. 12.)

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θήρια, γαστέρες ἀργαί.

Cretenſes ſemper mendaces, malae beſtiae, ventres pigri.

Non inficiabor, auditores, quod non parum mihi placeo, meque amo, cum nationem illam olim florentiſſimam, quam ſupra ceteras omnes demirari uſque a puero conſuevi, defendendi occaſio datur, & crimina propulſandi, quae falſo illi imputantur, praecipue vero adeo probroſum mentiendi crimen, quo eam plerique etiam literati viri allati proverbii ſenſum ignorantes, in malamque partem accipientes, per ſummam iniuriam infamant, & calumniantur.

DISSERTATIO XV.

De laudatione, qua Homerici Heroës ſeipſos interdum extollunt.

S Y N O P S I S.

Laus in ore proprio ſordeſcit. Iactationis definitio. Duae cauſſae, cur ſit vitioſa. Vates ſunt glorioſi. Homeri modeſtia. Pindarus, Horatius, & Ovidius laudibus ſeipſos vexerunt. Similiter Cicero. Gloriatio minus dedecet milites. Gloriatio Aeneae. Intoleranda Maximini Imperatoris iactantia. Cauſſae quae iactationem excuſant quatuor. Senes propriis laudibus indulgent. Sine cauſſa laudare ſeipſum turpe eſt. Aliqua ferme cauſſa Heroas Homericos de ſe magnifice loquentes tuetur. Nequaquam damnandus Homerus quod militares homines thraſonice loquentes fecerit.

Laudem in ore proprio ſordeſcere notius eſt, quam ut verbis explicari opus habeat. Illud enim ὑπὲρ σεαυτοῦ μὴ φράσῃς ἐγκώμια: *ne feceris de teipſo encomia*, adagii loco ex Menandro uſurpant Graeci

De te alii narrent, proprio ſordeſcit in ore
Gloria; ſi taceas, plus tibi laudis erit.

Non

Non ineleganter Michaël Verinus moralium diſtichorum praeclariſſimus Scriptor. Verumtamen numquamne ſeipſum laudare liceat? Numquamne non vitio verti debeat honorifice de ſeipſo loqui? Atqui hoc ipſum eſt, de quo hodiernam diſputationem inſtituimus, ut ſimul Homericos Heroas, qui ſibi ipſis laudem non raro tribuunt defendamus, ſimulque vobis non inutilia de laude ſui praecepta tradamus, ornatiſſimi adoleſcentes. Quod dum breviter exequor, peto, atque obſecro, ut me benigne attenteque, quemadmodum conſueſtis, audiatis.

Equidem non inficior, quod extollere ſeipſum gloriando, vitio plerumque non caret. Eſt enim iactantia inanis de ſe, & ſtulta praedicatio; ſive cum Cicerone mavis eam definire, *Iactatio eſt voluptas geſtiens, & ſe efferens inſolentius.* (*l.* 4. *Tuſcul.*) Duabus vero de cauſſis ſordidam eſſe liquet, ac vitioſam praedicationem de ſe ipſo; quarum prior ea eſt, quod ſi decebat te pudor, etiamſi ab aliis laudareris, quanto magis adverſus pudorem modeſtiamque feciſti, dum laudes tuas per teipſum arroganter afferre non erubueris? Altera vero, quod ius etiam violas, dum tibi videlicet ipſemet ſumis, quod tibi ab aliis tribui oportuit. Nihilominus neſcio quomodo huiuſcemodi iactatio peculiare ſummorum ſive ingenio, ſive rebus geſtis virorum vitium eſt; quibus tamen magis credo admiratione virtutis, quam iure cauſſae plerique hominum hanc culpam ſolent remittere. Quantum

tum enim, Dii boni! ſe ſuaque amant, ac iactabundi efferunt maximi Vates? Si enim unum Homerum excipias, qui ſingulari exemplo pudoris, & modeſtiae non ſolum a propriis laudibus ſibi temperavit, ſed ne nomen quidem ſuum divinis carminibus uſpiam affixit, in eoque totus eſſe viſus eſt, ut ſeipſum celaret; vix alium invenias, qui ſuarum laudum buccinator non ſit, ſeque non celebret arrogantius. Nam ut Graecos praetermittam, in quibus prae ceteris Pindarus habetur elatior, dum nullum finem facit facultatem, qua pollebat, magnifice oſtentandi, nonne Horatius, atque Ovidius putidas ſui ipſorum laudes obtrudere videntur, *Exegi monumentum aere perennius* inquiens ille, hic vero

Iamque opus exegi, quod nec Iovis ira, nec ignis
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas?

Cicero autem, ut ſaltem unum etiam ex oratoribus praeclariſſimis nominem, conſulatum ſuum, Catilinaeque a ſe detectam profligatamque coniurationem nullo non loco ad nauſeam depraedicat, ſuumque ab exilio reditum adeo verbis exornat, extollitque, ut reipublicae humeris, quum regrederetur, advectum ſe eſſe iactet. Ita ſane res habet, auditores. Summi ingenio viri, ut mox dicebamus, licentiam quampiam ſeipſos laudandi nemine paene refragante ſibi tribuunt, longeque adhuc maiorem licentiam arripiunt milites, magnique Duces, ac exercituum Imperatores,

quos

quos certe eſſe glorioſos ex eo, quod profitentur, vitae inſtituto minus videtur dedecere. Annon Virgilianus Aeneas, quem iſti Homeri iniqui reprehenſores non recto fortaſſe iudicio Homericis Heroibus anteferunt, longeque illis appellant pietate, honeſtate, verecundia abſolutiorem, ſeipſum fidentiſſime praedicavit?

Sum pius Aeneas fama ſuper aethera notus.
Aeneae magni dextra cadis.

Quae duo plane loca ſatis effuſam, tumidamque praeſeferunt iactationem. Neque vero Aeneam reprehendere propoſitum mihi eſt, auditores. Novi enim iactationem illam egregiam quamdam in loquendo confidentiam praeclarumque excelſi animi argumentum a pleriſque exiſtimari; & a virtute potius ortum habere, quam culpae nomine eſſe coarguendam. Illud ſolummodo contendo, quod ſicut ille ſeipſum praedicans ab omni culpa prope iure ſuo vindicari poſtulat, ita & Homericos Heroas pari dignos venia habeamus aequum eſt. Sed quoniam quacumque in re ſtatuendus eſt modus, quem praetergredi ſine culpa non liceat, iccirco ſi certos fines prudentis arbitrio viri figendos tranſiliant vel ipſi Duces, ſummique Imperatores, dum ſeipſos praedicant, nimiſque immodicis iactationibus ſibi placent, minime puto tunc eſſe ferendos. Quis enim ferat Maximini Imperatoris iactantiam arrogantiae pleniſſimam, quam recenſet in eius vita

Ca-

Capitolinus ? Victa ſiquidem Germania tam ſuperbas literas ad Senatum dedit, ut nihil unquam inſolentius excogitari poſſe videatur; quarum exemplum hoc eſt: *Brevi tempore P. C. tot bella geſſi, quae nemo veterum. Tantum praedae in Romanum ſolum attuli, quantum ſperari non potuit. Tantum captivorum adduxi, ut vix ſola Romana ſufficiant.* Itaque huiuſmodi laudationem ſui ultra modum arrogantem, & inflatam Imperatori etiam nequaquam licere ultro affirmamus. Sed ubinam in Homericis Heroibus immoderationem tantam, tantamque inſolentiam animadvertas & damnes ? Atqui ſi rem diligenter inſpiciamus, & cum doctiſſimo viro Plutarcho examinemus, ipſis ferme eas fuiſſe cauſſas cognoſcemus, quibus non modo bellicis Imperatoribus, ſed aliis quibuſcumque laudes ſuas pertractare nequaquam turpe ſit, ſed utile potius & honeſtum. Primo enim ſeipſum commendare licet ad crimen fictum ſibi intentatum propulſandum, refellendamque calumniam. Qui enim id facit, ſibi ipſi veluti ius ſuum aliena adactus iniuria tribuere videtur. Quapropter Sthenelus plane nobis damnandus non eſt, quum diceret (*Il.* 4.)

Ἡμεῖς τοι πατέρων μέγ' ἀμείνονες εὐχόμεϑ' εἶναι.

Nos multo noſtris meliores patribus eſſe
Iactamus.

Siquidem verba illa contumelioſa, quae Agamemnon

mnon in Diomedem coniecerat concoquere non valebat, videlicet

Ωμοι Τυδέος υἱὲ δαΐφρονος, ἱπποδάμοιο
Τί πτώσσεις, τί δ' ὀπιπτεύεις πολέμοιο γεφύρας;

Eheu Tydide tam forti nate parente
Quid trepidas, timiduſque acies circumſpicis amplas?

Cum itaque amicum, atque ex obliquo ſeipſum, utpote Diomedis aſſeclam ignominioſe compellatum defendat, ipſa cauſſa veniam de ſe dicenti conciliat. Quod ſi ad ingratos praeclaro viro maleficia pro beneficiis recipienti verba facere contingat, maior etiam facultas res quas geſſit cum laude recenſendi permitti debet. Sic Achilles indigne ab Agamemnone habitus, iniuriaque illa, quam ſaepius memoravimus, laceſſitus, irae, quae ſe tranſverſum agebat, neceſſariam veluti exhalationem concedit iactantiam (*Il. 9.*)

Δώδεκα γὰρ σὺν νηυσὶ πόλεις ἀλάπαξ' ἀνθρώπων

Cepi biſſenas comitatus navibus urbes.

Et rurſus (*Il. 16.*)

——— οὐ γὰρ ἐμῆς κόρυθος λεύσσουσι μέτωπον
Εγγύθι λαμπομένης.

Non etenim galeae fulgorem cernere noſtrae
Cominus audebunt.

Nam

Nam loquendi libertas, quae ſuipſius defenſionis pars eſt (ut ait Plutarchus, ex quo pleraque haec ſtudioſe delibavimus) iactationem, admittit. Secundo poteſt aliquis laudationem ſui ſine crimine auditoribus ingerere ad eos honeſtae aemulationis ſtudio inflammandos. Hoc ſane modo Neſtor ſuas pugnas, & praeclara facinora narrando (*Il.* 7.) & Patroclum ad pugnam inſtigavit, & novem Graecos Heroas ad ſingulare cum Hectore praelium excitavit. Hortatio enim, quae factum verbis coniunctum habet, exemplumque proprium ad imitationem invitans, animata eſt, & movet, & extimulat; & cum impetu, ac propoſito animi ſpem etiam conſequendi, & potiundi eius, ad quod impellimur, certam iniicit. Tertio interdum etiam ad deprimendum, cicurandumque inſolentem hominem ac ferocem conducit de ſeipſo aliquid tumidius iactare, ut rurſum Neſtor (*Il.* 1.)

Ηδη γὰρ ποτ' ἐγὼ κὶ ἀρείοσιν, ἠέπερ ὑμῖν,
Ανδράσιν ὡμίλησα, κὶ οὔποτέ μ' οἵγ' ἀθέριζον.

Certe egomet, quam vos ſitis, melioribus olim
Conſuevi, vixique viris, neque me tamen illi
Spreverunt.

Quarto tempeſtive nos iactando non modo amicos ferocientes retundere poſſumus, modeſtioreſque reddendo ad officium revocare, ſed & timidis, atque attonitis animos facere, & afflictos eri-

erigere. Apparet autem hoc perſpectum fuiſſe Homero. Facit enim Ulyſſem ſociis ad fluctus, & ſtrepitum circa Charybdim animos deſpondentibus in memoriam redigentem calliditatem ſuam & fortitudinem. (*Od.* 12.)

> Οὐ μεν᾽ δὴ τόγε μεῖζον ἔπι κακὸν ἤ ὅτε Κύκλωψ
> Εἴλει ἐνὶ σπῆι γλαφυρῷ κρατερῆγε βίῃφι.
> Αλλὰ καὶ ἔνθεν ἐμῇ ἀρετῇ, βουλῆτε, νόωτε
> Εκφύγομεν.

> *Non tamen hocce malum nunc grandius ingruit illo,*
> *Quam cum nos tenuit vaſto Polyphemus in antro,*
> *Et tamen hinc virtute mea nos, conſilioque*
> *Fugimus.*

Denique in hanc qualemcumque culpam cum primis incidunt ſenes, ubi ad caſtigandos alios, arguendoſque pravos mores, ac malefacta converſi, eo progrediuntur, ut ſeipſos laudibus extollant, actaeque ſuae pueritiae, & adoleſcentiae tempus memorent, diligentiamque iactent ſuam. Quod probe notavit Horatius in arte, ubi de ſene ait:

> ———————— *laudator temporis acti,*
> *Se puero, cenſor, caſtigatorque minorum.*

Nihilominus ſi non aetate tantum, ſed gloria etiam & virtute praediti ſint, a culpa hac abſolutos facile dimittimus, quum non prorſus inu-

tilis ſit eorum iactatio, ſed iuniores ſive a morum pravitate revocet, & ad recte factorum ſtudium impellat, ſive iam virtutis pulchritudine illectos in laudabili propoſito ſtabiliat, & confirmet. Ceterum nulla ex iis, quas explicavimus cauſſis excuſante, neque nos laudationem ſui, quam Graeci περιαυτολογίαν vocant, excuſamus; ſed utpote furioſam atque intolerabilem condemnamus. A qua proinde omni ſtudio abſtinere contendite, adoleſcentes. Ut enim recte admonet Pindarus (*Ol. Od. 9.*)

Τὸ καυχᾶσθαι παρὰ καιρὸν
Μανίαισιν ὑποκρέκει.

Intempeſtiva gloriatio
Stultitiae conſonat.

Abſtinebitis autem profecto, ſi culpam hanc animadvertatis in aliis, qui inſolenter ſeipſos laudant, & vobiſcum reputetis, quam moleſti habeantur, & importuni, quantum in odium omnibus veniant, & ut nulla oratio audientibus ſit perinde gravis & inviſa. Quippe ut nullam aliam iniuriam in nos eorum qui ſe iactant, conqueri poſſimus, tamen tanquam naturae inſtinctu moleſte ferentes eam rem, & averſantes, dimitti ab eis & reſpirare properamus. Neque deſunt, qui malum malo addentes, non ſolum inani ſtultaeque ſui ipſius praedicationi obſequuntur, ſed ſimul alios, cum quibus ſe comparant, cri-

mi-

minantur, iiſque ſeſe iactant meliores. Quam turpe eſt, auditores, lucrum ex alieno damno, gloriamque ex alieno probro quaeritare! Satis eſt ad iſtorum inſolentiam compeſcendam pulcherrimum Ciceronis dictum afferre (*pro Sext. Roſc.*) *Is tandem* (aiebat ille) *mihi videtur ampliſſimus, qui virtute ſua in altiorem locum aſcendit, non qui aſcendit per alterius incommodum & calamitatem*. Sed ut Heroas, quorum cauſſam hactenus egimus, repetamus, in eoque, unde progreſſa eſt, conquieſcat oratio, nullibi fere magnifica verba de ſe uſurpantes obſerves, non aliqua illos ex allatis cauſſis protegente, & a vitioſae oſtentationis crimine vindicante. Quod ſi adhuc obfirmatis cervicibus adverſarii contendant aliqua eſſe loca, quae nimiam, nec ferendam Heroum illorum exprimant iactationem, ne diutius cum eorum pervicacia luctemur, dare ſibi quod aiunt non detrectamus; nihil inde tamen eſt quamobrem damnemus Homerum, qui militarium hominum mores thraſonice loquentium bene repraeſentavit; nam ut docet Horatius inter alia artis praecepta,

Intererit multum Davuſne loquatur, an Eros,
Maturuſne ſenex, an adhuc florente iuventa
Fervidus.

Et rurſus

Reſpicere exemplar vitae, morumque iubebo
Doctum imitatorem, & veras hinc ducere voces.

Neque vero dum ad hunc modum eos depinxit, vel probavit, vel commendavit (quod etiam in alio argumento nos animadvertere meminimus) ſed integrum cuicumque reliquit, ut de iis, prout ſibi videtur, ferat iudicium.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO XVI.

De Armis aereis.

SYNOPSIS.

Paſſim ab Homero celebratur aes in armis. Virgilius ea, quae ab Homero nuncupantur aerea, plerumque dixit ferrea. Teſtimonia aliorum ſcriptorum de uſu aeris. Idaei Dactyli aeris temperaturae auctores fuerunt. Arma, atque inſtrumenta aerea veterum adhuc extantia in Cimeliis. Homerus, aliique ſcriptores non uſurparunt figurate aes pro ferro. Oſtenditur teſtimonio ſacrarum Literarum. Aes ferro firmius, ac perennius. Aes ad ſplendorem ac magnificentiam viſum eſt opportunius. Non rubigini obnoxium. Gratum Diis, & boni ominis. Apud ipſos Hebraeos religioſius. An ferro prius aes fuerit inventum. Omnia ſimul metalla reperiri non potuerunt. Centum, & octoginta ſex annis ante bellum Troianum ferrum repertum eſt. De cupro. Diſputationis epilogus.

INter ea, quae auribus abſurda, & abſona eſſe in Homero quidam mihi noti homines plane non indocti, ſed antiquitatis inſueti exiſtimabant, arma recenſentur aerea, quae frequentiſſime apud hunc Vatem le-

leguntur ; cum enim apud nos arma ferrea uſu ſint recepta , ſtomachabantur illi , quod arma aerea Homerus nuncupaverit, quae minus apta , minuſque valida ad pugnandum opinabantur. Non erit igitur ſupervacaneum , nec inutile argumentum hoc hodierna diſputatione pertractare , ne forte vos pariter , optimi adoleſcentes , ineptire putetis Homerum huiuſmodi arma paſſim lectoribus ſuis obtrudendo . Aes igitur in armis ab Homero celebrari veriſſimum eſt . Si enim clavam ferream Areithoi (*Il. l.* 7.) & pauca quaedam alia excipiamus , cetera omnia ex aere conflata ab eo deſcribi liquet . Verum allucinatur , & errat , qui minus bona ex aere procudi arma putat , quam ex ferro . Equidem fateor Virgilium non ſolum arma , ſed & cetera , quae ab Homero dicuntur aerea , ſaepe appellaſſe ferrea . Nam mortem Homerus dixit χάλκεον ὕπνον, nimirum *aereum ſomnum ;* Virgilius vero ſomnum *ferreum* . Hic enim de Orode moriente ait (*Aen. l.* 10.)

Olli dura quies oculos , & ferreus urget
Somnus , in aeternam clauduntur lumina mortem.

Ille vero de Iphidamante (*Il. l.* 11.)

—— τὸν δ' ἄορι πλῆξ' αὐχένα , λῦσε δὲ γυῖα .
Ως ὁ μὲν αὖθι πεσὼν κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον .

Quam ſententiam Latinis verſibus ſic expreſſi :

Atque

Atque hunc enſe ferit cervicem, membraque ſolvit;
Aereus & lapſo ſopivit lumina ſomnus.

Siquidem mors convenienter vocatur ſomnus ſive aereus, ſive ferreus, quod perpetuo opprimat, nec umquam illum a ſe depellere hominibus vita functis liceat. Quamobrem eleganter cecinit Catullus

Nobis ut ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda.

Similiter ferream vocem dixit Virgilius, ubi Homerus χαλκόφωνον Stentorem appellat, aerea videlicet voce praeditum, quemadmodum etiam Heſiodus in Theogonia aeream vocem tricipiti Cerbero attribuit. Haec omnia, inquam, ultro fateor, & concedo. Quid tum? Numquid ab Homero hac in parte deſcivit Virgilius, ut illum emendaret? Nequaquam, auditores; ſed conſulto aetatis ſuae moribus deſerviendum putavit (quod & alia diſputatione, qua Scaligerum confutavi, me animadvertere memini) iampridem enim aetate ſua magis ferri uſus, quam aeris invaluerat. Neque vero ita ferrum, aut chalybem nominat Virgilius, ut non etiam aerea arma commemoret. Septimo enim Aeneidos libro ait

Aerataeque micant peltae, micat aereus enſis.

Li-

Libro vero octavo, ſimul arma ex chalybe conflari tradit, ſimulque meminit aeris, aurique. Inquit enim

> ——— *fluit aes rivis, aurique metallum,*
> *Vulnificuſque chalybs vaſta fornace liqueſcit.*

Itaque Heroicis temporibus conſueſſe arma confici ex aere, tum ex Homero aerea arma ubique commemorante, tum ex aliis ſcriptoribus apertiſſime demonſtratur. Nam & Heſiodus Homero propemodum coaevus, ubi quatuor mundi aetates deſcribit, & primam auro, alteram argento, tertiam aeri, poſtremam ferro aſſignat, de aere differens, teſtatur non arma tantum, & campeſtria inſtrumenta ex hoc metallo conſtructa eſſe, ſed ipſas domos, nondum ferro in vulgares uſus recepto. Quod teſtimonium duobus hiſce verſiculis continetur.

> Τοῖς δ' ἦν χάλκεα μὲν τεύχεα, χάλκεοι δέ τε οἶκοι,
> Χαλκῷ δ' ἐργάζοντο, μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος.

Proclus vero eiuſdem Poëtae interpres artem quamdam veteribus notam fuiſſe tradit, qua ferri, & chalybis duritiem aeri inducebant; quae ars (ut eruditiſſimus Calmetius in Diſſertatione de Re militari veterum Hebraeorum obſervat) noſtra aetate, qua ferrum invaluit, penitus excidit. Talem vero aeris temperaturam Idaeos Dactylos inveniſſe docent Diodorus Siculus (*l.* 17.)

&

& Clemens Alexandrinus. (*Strom. l.* 1.) Eius duritiei certiſſimum argumentum praebent arma veterum quaedam caſu reperta. Nam in Diario Italico (*c.* 5.) Bernardus Montfauconius teſtatur in Muſeo Tarviſiano Venetiis inter alia cimelia gladium exhiberi aenea lamina, atque acie, quae ferri aciem, ac duritiem aemulatur. Item tradit haud diu in portu Tiberino caementarios, dum macerias quaſdam diruerent, incidiſſe in clavos aeneos duriſſima temperatura. Aereas etiam forcipes inventas eſſe ex ultima antiquitate ad nos uſque ſervatas tam valida acie, ut aereas laminas ſcinderent, apud eumdem Montfauconium (*c.* 12.) teſtis eſt Flaminius Vacca. Sunt quoque hoc metallo conſtructae claves, lances, paterae, ſcyphi, foculi, ſecures, haſtarum cuſpides, & ſexcenta huius generis alia. Accedit Lucretii auctoritas, qui priorem fuiſſe aeris uſum, quam ferri diſerte tradit (*l.* 5.)

Poſterius ferri vis eſt, aeriſque reperta;
Et prior aeris erat, quam ferri cognitus uſus.
Inde minutatim proceſſit ferreus enſis,
Verſaque in opprobrium ſpecies eſt falcis abenae.

Non me latet fuiſſe aliquos, qui aes pro ferro ab Homero, aliiſque poëtis uſurpatum autumarent, ut arma aerea, quae ipſi non probant, omnino reiicerent. Verum praeterquamquod Heſiodi, ac Lucretii allata teſtimonia de uſu aeris pro ferro nimis manifeſta ſunt, atque enuclea-

ta, ipſemet Homerus alicubi inter aes, & ferrum clare diſtinguit; ait enim alios geſtaſſe arma aerea, alios ferrea.

Ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ.

Ex quo loco licet inferre, quamvis veteres, ut plurimum armis aereis uterentur, eos tamen armorum ferreorum uſum penitus non ignoraſſe. Quid quod divinus etiam Codex pleraque antiquiſſimis temporibus aere conſtructa fuiſſe commemorat? Occurrunt enim in tertio Regum libro (*cap.* 4.) fores, & vectes aerei. Occurrunt tum in eodem libro (*c.* 14.) tum apud Iobum (*c.* 20.) tum apud Regium Pſaltem (*Pſ.* 17.) clypei, galeae, & arcus aerei. Vincula autem, & catenas aereas, recenſet Daniel (*c.* 4.). Rotas, & axes tertius Regum liber (*c.* 7.) prior vero ocreas ex eodem metallo (*c.* 7.) Ecquis ſanae mentis adduci poſſit, ut credat divinos Scriptores poëtica licentia tot in locis abuſos eſſe, aeriſque nomen pro ferro, & chalybe ſemper uſurpaſſe? Cum praeſertim hiſtorica ſanctiſſimarum Scripturarum Volumina nullo verborum fuco oblita ſint, ac pigmentata, ſed narrationem ſimplicem & candidam ubique praeferant. Cum igitur Homeri, & divini Codicis teſtimonia conveniant, manifeſtum eſt, nequaquam abſurda auribus, ſed vera illum, uſuque recepta de armis, aliiſque inſtrumentis aereis narrare; ſicut & complures alios antiquorum temporum uſus

uſus lcnge a noſtris diverſos ab eodem Homero deſcriptos graviſſima divinorum Scriptorum auctoritate confirmari ac probari alibi, ſaepe demonſtravimus. Quid quod aes ferro comparatum in ſacris, atque humanis Literis habetur firmius, ac perennius? Legitur apud Iobum (*c.* 20.) *Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum aereum;* hoc eſt, ut doctiſſimi quique Interpretum explicant, leviores fugiens in graviſſimas incidet calamitates. Et alibi de Behemotho habet (*c.* 40.) *Oſſa eius velut fiſtulae aeris, & cartilago illius quaſi laminae ferreae*. Viden ferro cartilaginem comparari, oſſa autem aeri? adeo ut ſentire videatur hoc loco Iobus tantum aes praeſtare ferro firmitate ac duritie, quantum cartilagini oſſa. Quod etſi fortaſſe hyperbolice dictum arbitremur, tamen negari non poteſt aes fuiſſe ab eo longe ſolidius, duriuſque ferro habitum. Sacris Literis humanae conſonant, rerumque aeternitatem ac firmitatem aere frequentiſſime exprimunt. Ita apud Virgilium *nixas aere trabes* ad perennitatem legimus; & *monumentum aere perennius* apud Horatium. Similiter Heſiodus in Theogonia ubi de Tartari, vel Ditis agit ianua, illic ſplendidos eſſe ait poſtes, & aereum limen immotum, quod videlicet nulla vi poteſt convelli. Vegerius vero docet aereos clavos compingendis navibus aptiſſimos eſſe, ferreiſque firmiores, ac diuturniores, quod ferreos tempore & humore celeriter rubigo exedat, ſed aerei etiam in fluctibus nulli obnoxii rubigini diutiſ-

ſime perdurent incolumes. Praeterea aes ad ſplendorem, ac magnificentiam ferro viſum eſt opportunius, gratumque eſſe Diis, omenque illi bonum, & virtutem expiandi ineſſe putaverunt priſci. Quare in condendis urbibus Rhodigino teſte (*l.* 10. *c.* 70.) Tuſci aereo vomere moenia deſignabant tum boni ominis ergo, tum ut locum expiarent, quod in deſignandis moeniis urbis Romae Romulus ipſe feciſſe perhibetur. Hinc quoque factum puto, ut Deorum templa, & domicilia Chalcidica dicerentur, hoc eſt aerea, quia aut ex aere confićta, aut aere ſaltem ornata, ut paſſim Homerus habet. Nam & Iovis, & Vulcani, ipſiuſque Regis ventorum tecta atque aedes aerea ſunt. De Vulcano tantum exemplum dabo (*Il. l.* 18.)

> Ηφαίστου δ' ἵκανε δόμον Θέτις ἀργυρόπεζα
> Αφθιτον, ἀστερόεντα, μεταπρέπε' ἀθανάτοισι
> Χάλκεον.

Quos verſus ad hunc modum Latinos fecimus:

> *Vulcani niveis pedibus pervenit ad aedes*
> *Alma Thetis ſtellis diſtinctas, Numine dignas,*
> *Aeternas, incorruptas, ſolido aere micantes.*

Unde & Virgilius Iunonis templum paene ex uno aere conſtructum recenſet (*Aen. l.* 1.)

> *Aerea cui gradibus ſurgebant limina, nexaeque*
> *Aere trabes, foribus cardo ſtridebat ahenis.*

Cu-

Cuius rei rationem affert luculentiſſimus interpres Servius : *Quod aes magis* , inquit , *in uſu veteres habebant* , *vel quod Religioni magis apta eſt baec materia* . Nam & Flamen Dialis aereis cultris tondebatur . Neque vero apud pleraſque ſolummodo Ethnicorum gentes , ſed etiam apud Hebraeos hoc metallum habitum eſt religioſius , & ad templi ornatum , uſuſque ſacros ex omni memoria uſurpatum . Nam in tabernaculo Moyſis , & Salomonis templo nihil ferreum fuiſſe fertur , ne clavi quidem , paxilli , mallei , ceteraque inſtrumenta , ſed aerea omnia . *Malleus & ſecuris* , ait ſacer Codex (3. *Reg.* 6. 7.) *& ullum ferramentum non ſunt audita in domo* , *cum aedificaretur* . Equidem ſcio locum hunc aliter alios eſſe interpretatos , nimirum non eſſe auditum in domo , cum aedificaretur , omne ferramentum , neque malleum , neque ſecurim , quia ex lapidibus dolatis ac perfectis extruebatur , omniaque ita praeparata convehebantur , ut ſolummodo in templo coaptarentur . Quam ſane ſententiam fere amplectuntur omnes , ac defendunt , nec ego facile improbandam , aut reiiciendam cenſeo ; nihilominus rem paulo attentius inſpicienti haec ſententia non ſine controverſia admittenda eſſe videatur . Utut enim dolata , ac praeparata eſſent omnia , ut ſimul compingerentur , & cohaererent , aliquos ſaltem malleorum ictus neceſſarios omnino fuiſſe credibile eſt , quibus ſtrepitus cieretur . Siquis igitur contendat ſacrum ibi Scriptorem ſignificare voluiſſe ad ſacram extruendam

dam domum non ferreos uſurpatos eſſe malleos, ſed aereos, ſententiam plane feret a veriſimilitudine non aberrantem, adeo ut cum alia modo expoſita de veritate confligere poſſit, nec minus, quam illa, conſiderari, & expendi mereatur. At ferri, inquiet aliquis, ingentem vim pro templi aedificatione comparaverat Salomon. Eſto; ſed ferrum illud ad inſtrumenta tantummodo conficienda comparatum eſſe putaverim, quibus excinderentur lapides e lapidicinis, & e ſilvis ligna ad fabricandum templum neceſſaria, non quibus ipſum templum fabricaretur, pro quo componendo aerea potius inſtrumenta adhibita fuiſſe allata argumenta videntur evincere; adeo ut iure optimo facer Codex teſtetur nullius ferramenti fragorem exauditum eſſe in templo, dum extrueretur. Sed hic fortaſſe aliquis veſtrum quaerat, an ferro prius aes inventum ſit. Profecto divinae Literae utrumque metallum paſſim coniungunt, nihilque ad quaeſtionem ſolvendam ſatis firmum, aut certum ſuppeditant. De Tubalcaino ſolum memorat ſcriptor Geneſeos (4. 12.) malleatorem & fabrum fuiſſe in cunctis operibus aeris, & ferri. Tamen ante natum Tubalcainum per ſeptingentos totos annos nullum prorſus fuiſſe horum metallorum uſum non facile credam. Nam quod Moſes ad hunc artis aerariae, ac ferrariae originem referat, non ita intelligendum eſt, ut neque ante ipſum haec metalla effoſſa ſint, neque in humanos uſus aptata, ſed quia rudia quaedam ad id tempus,

&

& parum commoda opera expolire, ac perficere primus ille docuerit, artemque conficiendi aeris & ferri ad plures, ac politiores uſus provexerit. Quamobrem ex hoc Geneſeos loco tantum colligere licet aes ac ferrum eo tempore hominibus iam innotuiſſe, artemque utriuſque elaborandi apprime tenuiſſe Tubalcainum. Utrum vero horum metallorum ante generalem mundi eluvionem prius altero inventum ſit nec liquet, nec hariolari operae pretium eſt. Quod ſiquis putet omnia metalla ſimul eſſe reperta, huic nequaquam aſſentiar, nam neque omnia omnes terrae ferunt, neque credibile eſt ſimul omnia eſſe quaeſita, aut quaerentibus ſimul omnia patuiſſe. Sed quamvis daremus ante mundi eluvionem aes, & ferrum ſimul eſſe inventa, non tamem idipſum exiſtimandum eſt contigiſſe poſt illam. Nam obruta refuſarum undecumque aquarum immenſo auctu univerſa terrae facie, & in tumulos partim aſſurgente, partim deſidente in planitiem, aut valles, neceſſe eſt metallorum venas obtectas fuiſſe, atque occaecatas. Quae cum ita ſint, quomodo pauci illi homines, qui e communi naufragio divino beneficio erepti ſunt, ac ſervati, aut etiam eorum poſteri metalla ſimul omnia reperire valuerint? Dicendum eſt igitur apud alios alia aliis, atque aliis aetatibus inventa eſſe. Sane cum a mundi colluvione uſque ad egreſſum Iſraëlitarum ex Aegypto, & Tabernaculi fabricationem aeris frequens mentio habeatur, ferrum ne nominetur quidem, in eam ſen-

ten-

tentiam recte ibimus, ut affirmemus vulgatiorem primitus aeris fuiſſe uſum, quam ferri, priuſque illud quam hoc a mortalibus eſſe repertum. Ferrum namque, ut in marmore quodam Oxonienſi computatur, teſte eodem Montfauconio, cuius auctoritatem etiam ſuperius vobis attulimus, non prius inventum fuit, quam centum, & octoginta ſex ante Troianum bellum annis. Ex quo conficitur, ut Heroicis temporibus aere adhuc longe rarius fuerit ferrum, & quamvis in armis, aliiſque inſtrumentis ferrum etiam aliquantum eſſet in uſu, tamen aere, quod magis abundabat, fere omnia extruerentur. Ad plenam huius argumenti explicationem addendum puto, quoties in hac diſputatione aes nominavi, me illud ſimplex metallum ſpectaſſe, quod veteribus teſte Varrone (*l.* 4. *de l. l.*) & Valerio Maximo (*l.* 1. *c.* 6.) dictum eſt *raudus*, vel *rodus*; non vero illud, quod ſtanno, ſive aliis metallis commixtum eſt, *cupri* etiam nomine appellatum, quod Plinius (*l.* 33. *c.* 5.) *cyprium aes* vocat. De illo etiam Spartianus (*in Carac. c.* 9.) loquitur, cum ait *Ex aere, vel cupro cancelli ſuperpoſiti*. Sed iam diſputationis contrahenda ſunt vela. Cum conſtet aes ferro prius antiquiſſimis temporibus eſſe repertum; cum ferro firmius ac perennius temperatura redderet, ut iccirco pro aeternitatis teſſera ſumeretur; cum rubigini neutiquam ſit obnoxium; cum ad ſplendorem, ac magnificentiam opportunius, cum gratum Diis, & boni ominis; atque apud Hebraeos ipſos religioſius habe-

haberetur , quam ferrum , deſinite mirari , deſinite ſtomachari , o boni (vos enim modo appellat noſtra diſſertatio , quorum maxime gratia a nobis eſt elucubrata) quod tum arma , tum multa alia , quae apud nos ferro , aut chalybe conflantur , aere conflata Homerus recenſeat. Diſcite non fuiſſe ad ea conficienda aes minus ferro bonum , atque accommodatum . Diſcite , unaque vobiſcum ceteri Homerici cenſores aliquando diſcant , ac fateantur antiquos mores , qui ab Homero deſcribuntur , non potuiſſe moribus conſecutarum aetatum conformari , aut ab eis legem accipere . Id profecto alias monui , atque inculcavi ; ſed parcite auditores ; ubi enim res & occaſio poſtulat , iterum , ac ſaepius idem monitum inculcari oportet.

DISSERTATIO XVII.

De cibo, potuque Heroum.

SYNOPSIS.

Panis pro quovis edulio. Panis vel ex tritico, vel ex hordeo. Panis in caniſtris ferri ſolitus. Carnes boum, ovium, caprarum, ſuum, in cibum, & plerumque dumtaxat aſſae. Animalia provectioris aetatis ad victum mactata. An feras, an piſces, an fructus, & olera Homerici Heroës manducaverint? Vini uſus apud Homerum maximus. Feminae etiam iuvenculae, etiam ipſi pueruli heroicis temporibus vinum potitare ſoliti; quod non probat Plato. In utre caprino vinum habebatur; nihilominus etiam dolia fuerunt in uſu. Magno in pretio apud Graecos vini vetuſtas, & color niger. Vinum Maroneum generoſiſſimum. Vinum in cratere aqua temperabatur. Antiquitus cornua pro poculis. Deinde pocula ex auro, & argento. Mactationes animalium fere erant ſacrificia. Statim ac mactaverant animalia, coquebant, edebantque. Vel carnibus rigentibus delectabantur, vel teneriores erant noſtris, vel ſtomacho utebantur validiore. Stomachi ſtrenuitati tribuendum videtur, quod magna cibi, carniumque copia ſe poſſent ingurgitare. Convivium Abrahami tribus hoſpitibus paratum. Salomonis menſa ſumptuoſiſſima. Cyceonis explicatio. Angli

gli vinum cum lacte commixtum iucunde potant. Vinum unguento permixtum apud veteres Romanos. Graecis vinum dulce in deliciis. Caepae in Graecia non acres, ſed dulces, nec maleolentes. Guſtus populorum diverſus.

Quamquam amorem meum in Homerum ſaepius ex hoc loco teſtatum fecerim, ſinite nihilominus, ornatiſſimi auditores, ut hodie Plautino verbo (*in Curcul.*) oculiſſimum nominem, aeque nimirum, atque oculos meos mihi carum, illumque amatorie ad hunc modum invocem; ſalve dulciſſime Homere, mea roſa, mi anime, mea voluptas. Quapropter mihi aequo animo ignoſcite, ſi veſtris animis quidquid eius exiſtimationem infringere poteſt, ſive deminuere, quaſi meo amantis iure amoliri contendo, ut videlicet non minus, quam ego illum amo, vos etiam ametis. Quandoquidem igitur in antiqua eruditione nuperi, ac novitii Homerum faſtidiunt etiam propter cibum, ac potum, quibus apud eum Heroës utuntur, de utroque hodierno ſermone diſſerere volupe mihi eſt. Quum enim a moribus noſtris, qui delicatiores ſumus, cupediorum guloſi, & tantum non ambroſia Deorum paſcimur, Heroum aridus victus valde diſſideat (quibus nullae erant molliculae eſcae, mattyae, embammata, ſcitamenta, bellaria) eius ſive ruditate, ſive ſimplicitate non parum offendimur, quaeque Homerus de illo habet, partim abſurda, ac

paradoxa, partim odioſa, & reiicienda iudicamus. Age igitur rem omnem diſcutiamus, grataque, qua poterimus, brevitate expediamus.

In cibo primum locum obtinet panis σῖτος Homero dictus, uſque adeo frequens, ut pro quovis edulio, quemadmodum & ſacris Paginis familiare eſt, uſurpetur. Qui panis e tritico, vel hordeo conſtabat; haec enim duo frumenti genera apud Homerum uſitata. Solebant autem panes ferri in caniſtris, quos κανέους Homerus appellat

Σῖτον δὲ δμῶες παρενήνεον ἐν κανέοισι.

Et famulae multo cumulabant pane caniſtros.

Quem locum imitatus Virgilius dixit:

——— *Cereremque caniſtris*
Expediunt ———

Mos enim, ait Donatus, *fertur fuiſſe apud veteres, ut panis non argenteis vaſculis inferretur, ſed caniſtris, hoc eſt ſpecubus factis ex vimine.* Accedebant carnes, & quidem boum praecipue, ovium, caprarum, ſuum. Hae ſiquidem Homericis temporibus uſu receptae, & plerumque dumtaxat aſſae. Quo facere videtur Curculionis verbum illud apud Plautum, *Haec ſunt ventri ſtabilimenta, panis, & aſſa bubula.* Athenaeus vero libro primo Antiphanem citans, haec habet ex Dalecampii verſione:

Ho-

Homerus immolans boves, nec iuſcula
Parat, neque elixat carnes, aut cerebrum,
Sed inteſtina, ventreſque aſſat; adeo priſci
moris tenax fuit.

Quod etiam Servius ad primum Aeneidos animadvertebat, ubi ait, *Heroicis temporibus non veſcebantur carne elixa*. Quamquam, ut verum fatear, aliquam aliam ſpeciem edulii apud Homerum nominatam lego, ut verbi gratia pedem bovis quodam cum condimento excoctum, ventrem ſanguine farcitum; ſed haec perraro Heroum menſis adhibebantur. Idem Servius Varronem ſcripſiſſe narrat Romanis quoque primum in uſu fuiſſe aſſa, ſecundo elixa, tertio iurulenta. Erant vero animalia illa ad victum apta provectioris aetatis. Quod ſane ſobolis conſervandae cauſſa factum videtur. Quo nomine etiam apud Athenienſes vetitum fuiſſe ferunt, nequis intonſum agnum comeſſet, cui affinis illa lex, quam Imperator Valens per Orientem dedit, ne quis vitulorum carnibus veſceretur, utilitati nimirum agriculturae providens, ut ait Hieronymus libro adverſus Iovinianum ſecundo. Quantum ad feras attinet, nonnumquam ab Heroibus manducatas conſtat ex frequenti venatione, nam memorat Homerus in Odyſſea (*lib. 9. & 10.*) capras ſylveſtres captas in cibum, cervum, & id genus alia animalia. Sed & aucupio, ac piſcationi operam dabant, ut ſocios Ulyſſis legimus feciſſe in inſula Solis (*Od. l. 12.*)

Plu-

Plutarchus tamen in Sympoſiacis contendit mortales illis temporibus abſtinuiſſe piſcibus, quod ad gulae voluptatem faciant; ſocioſque Ulyſſis extrema fame coactos ad piſcandum ſe contuliſſe, quod videtur Athenaei opinionem elidere, qui arte diu conſueta illos id factitaſſe cenſuit. Heroibus utique nullibi videmus piſces appoſitos in cibum. Quid de fructibus, & oleribus? Eorum aliquem uſum fuiſſe Heroibus liquet ex eo, quod Neſtori affertur in caniſtro (*Il. l.* 11.) *κρόμυον ποτῷ ὄψον, ἠδὲ μέλι χλωρόν*, *caepe obſonium potioni, & mel recens*. Ulyſſes quoque data ſibi ait puero a Laërte patre poma. (*Od. l.* 24.) Hinc & in horto Alcinoi laudantur pyra, mala, uvae, & alia id genus. (*Od. l.* 8.) Et Tantalo apud Inferos arbores multas fructus oſtentare noſter Vates confinxit, ut pyros, malos punicas, aliaſque ficus, oleas. (*Od. l.* 11.) Uſum pomorum maximum fuiſſe in menſis, quas dicunt, ſecundis docet Servius: *Duas* (inquit) *habebant menſas, unam carnis, alteram pomorum*. Eas tamen menſas ſecundas Heroibus non apponit Homerus, etſi ab antiquiſſimis iam inde temporibus in uſu fuiſſe putet Athenaeus. (*l.* 14.) Quae de cibo notanda occurrerunt, paucis expoſuimus; iam de potu diſſeramus. Vini uſus apud Homerum maximus, qui proinde vinoſus dicitur ab Horatio

Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus.

Σῖτος καὶ οἶνος, *panis, & vinum* paſſim apud eum coniun-

coniunguntur : τὸ γὰρ μένος ἐςὶ καὶ ἀλκὴ, *hoc enim hominis ſtabilimentum, ac robur*, inquit Ulyſſes, utriuſque neceſſitatem in vita collaudans. (*Il. l.* 19.) Nec viri modo, ſed & feminae vel iuvenculae vino uti ſolitae, ut manifeſtum eſt ex Nauſicaa, ac ſociis puellis, quae vinum ſecum devexerunt ad flumen, dum eo irent lavatum ſordidas veſtes. (*Od. l.* 6.) A quo ſane more neutiquam laudabili Romani, aliique populi maxime abhorruerunt, apud quos, Athenaeo teſte (*l.* 10.) nefas erat, mulierem vinum guſtare, qui & Graecas mulieres temulentiae accuſat. Quinimmo puerulis quoque vinum propinari Graeci ſinebant, ut Achilli a Phoenice eius cuſtode, ac nutricio propinatum legimus. (*Il. l.* 9.) Quod non probavit Plato ſecundo de legibus, ubi lege lata ſancivit, ne pueri ad annos uſque decem & octo vino utantur; deinceps vero utantur quidem, non tamen ad ebrietatem impleantur. Παῖδας μέχρι ἐτῶν ὀκτὼ καὶ δέκα, οἴνου τὸ παράπαν μὴ γεύεσθαι, μετὰ δὲ γεύεσθαι μὲν, μὴ μεθύσκεσθαι δέ. In utre caprino mos plerumque fuit Graecis habere vinum, ἀσκῷ ἐν αἰγείῳ. (*Il. l.* 3. & *Od. l.* 4.) Quod etiam hodie in Hiſpania, aliiſque finitimis regionibus uſitatum accepimus. Nihilominus & πίθοι, videlicet dolia vini veteris in Ulyſſis thalamo aſſervabantur. (*Od. l.* 1.) Magno fuit in pretio apud Graecos vini vetuſtas, quod vinum vetus, ut notat Athenaeus, non modo ad voluptatem, ſed ad ſanitatem quoque conferret. Vinum vel annorum undecim, Odyſſeae

ſeae libro tertio memoratur. Potiſſimum vero niger color in vino celebratur ab Homero, qui paſſim αἴθοπα οἶνον commendat. Supra alia quaecumque vina vinum effert Maroneum, cuius unum poculum aquae menſuris viginti temperabatur, & tamen ſtrenuum ſaporem ſuum probe retinebat. (*Od. l. 9.*) Huiuſce vini meminit quoque Plinius, & vel ſua aetate nobile fuiſſe aſſerit. (*l. 14. c. 4.*) Utinam hoc anno in hac tanta vini difficultate, atque inopia, qua laboramus, onuſtas aliquot huiuſcemodi vino naves tranſmitteret ad levamen populorum Iſmarus, ſive Maronea, unde ſe accepiſſe narrat Ulyſſes! Vinum quoque Pramneum Poëta collaudat, quod idem Plinius naſci in regione Smyrnae iuxta delubrum matris Deorum refert, ita ut eius honor tum quoque duraret. Solebant autem vinum in cratere aqua plerumque temperare. (*Od. l. 1.*)

Οἱ μὲν ἄρ' οἶνον ἔμισγον ἐνὶ κρατῆρι, καὶ ὕδωρ.

Illi vina quidem in cratere undamque remiſcent.

Quapropter crater ἀπὸ τοῦ κεράσασθαι videtur eſſe appellatus. Quam notationem & ipſemet ſaepe indicat Homerus, & confirmat Athenaeus. (*l. 5.*) Has crateras vino coronabant; unde ἐπιστεφέας οἴνοιο vocat Poëta (*Il. l. 8.*) Atque hinc Virgilius:

Crateras magnos ſtatuunt, & vina coronant.

Quod

Quod idem fere eſt, ac vino implent ad marginem uſque, ita ut coronam praeferrent. E crateribus vinum in pocula a ſingulis ebibendum effundebatur: (*Od. l. 9.*)

——— μέθυ δ' ἐκ κρητῆρος ἀφύσσων
Οἰνοχόος φορέῃσι, καὶ ἐγχείῃ δεπάεσσι.

——————————— *vina miniſter*
Huc ferat hauſta ex cratere, atque in pocula fundat.

Varia autem erant pocula tum materia, tum forma, de qua accurate pertractat Athenaeus. (*l.* 11.) Ait autem priſcos mortales boum cornibus bibiſſe, unde & Bacchus κεραλοφυής, hoc eſt *cum cornibus* pictus eſt. Poſtea aurum, & argentum fuit in hunc uſum apparatum, ut apud Homerum paſſim apparet in conviviis Heroum. Atque haec praecipua profecto ſunt, quae de cibo, potuque Heroum Homericorum mihi cenſui animadvertenda, atque ex Feithio, qui prior collegit, iiſdem fere verbis huc tranſferenda. Quae vero ſive abſurda eſſe, ſive indignam quampiam abiectionem praeferre nonnullis videantur haec eſſe puto, videlicet, quod ipſimet Heroës animalia mactarent, excoriarent, aſſarent; quod carnes illas ſtatim a mactatione coquerent, ederentque; quod tanta copia cibum ſumerent, ut fidem ſane ſuperet. Multo vero magis legenti moleſta eſt potio illa, cuius vel ſola recordatio inſuetis nobis nauſeam faciat, Graece

κυκεὼν, Latine *cocetum*; vinum nempe cum caſeo mixtum, ſimila, ac melle, caepaeque erant gulae irritamentum ad bibendum. Eam ſiquidem potionem & Ulyſſi in ſuis aedibus praebuit Circe (*Od. l.* 10.) & Machaoni in tentorio Neſtoris famula Hecamede. (*Il. l.* 11.) Eius & in Eleuſiniis myſteriis poſt ieiunia Clemens Alexandrinus meminit in admonitione ad Gentes. Ut haec omnia, quae in Homerum obiici ſolent, diluamus, illud animadvertatis oportet, auditores, quod alias ſaepe monuimus, mores Heroum, veterumque hominum longe ſimpliciores fuiſſe noſtris, nec famulorum miniſterio in rebus omnibus uſos, multaque ipſos per ſe praeſtitiſſe. A qua ſimplicitate longe hac aetate abſumus nos, luxu peſſimo invaleſcente, omniumque ordinum homines perditiſſime corrumpente. Hac inquam aetate, namque ante annos non adeo multos apud nos tum nobiliſſimae matronae, tum ipſi nobiles viri ſimplicitatis antiquae nonnihil retinebant, & culinae opera per ſeipſos non infrequenter obire in deliciis habebant. Praeterea animalium mactatio veteribus ſacra erat, utpote quae ſine ſacris caerimoniis fere nunquam perageretur. Quod ex verbis Eumaei luculente conſtat, ubi procorum inſolentiam apud Ulyſſem conqueritur, qui abſente illo, eius bona abliguriebant, gregumque, atque armentorum animalia multa ad quotidianum convivium ſine ulla intermiſſione mactabant; inquit enim (*Od. l.* 15.)

Ὅσσαι

Οσσαι γαρ̀ νυκλές τε, κ̀ ἡμέραι ἐκ διός ἐσ7ι,
Οὔποθ' ἒν ἱερεύουσ' ἱερήιον, ὀυδὲ δυ' οἴω.

Quot ſummo namque ab Iove ſunt noctesque dieſque
Hi numquam faciunt ſacrum unum, vel duo tantum.

Mactabantur ſiquidem victimae non ſolum ſolemniter a ſacerdotibus in templis, ſed etiam a profanis hominibus privatim tum in domibus, tum alibi. Vel igitur eae mactationes ſacrificia erant, vel eas non reſpuebant Heroës, quod ſacrificiis peragendis eſſent aſſueti. Sed ſtatim ac mactaſſent, igni ad coquendum tradebant: qui poterant rigentes illas, nulloque poſt mactationem interiecto tempore emollitas carnes manducare? Nonne aiebam nimis nos eſſe delicatulos, moreſque veterum moribus noſtris iudicare temere velle? Carnes illas rigentes non averſabatur eorum palatum, vel fortaſſe animalium in Oriente carnes non tam rigidae, duraeque ſunt, quam noſtrorum, ſed teneriores. Cum tres Angeli ad quercum Mambre apparuerunt Abrahamo, atque ipſe omni benevolentiae officio advenas eſſe reputans excepiſſet, ad armentum cucurrit, tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, deditque famulo, qui feſtinavit, & coxit illum. (*Gen.* 18.) Vox illa *tenerrimum* teneritatem forſitan peculiarem carnium regionis illius indicat. Sed rigentes fuerint, quid tum? Sic placebant, quemadmodum etiam hodie Anglis, & Germanis placent, iiſque mirifice delec-

tantur, cum noſtras adeunt regiones. Fortaſſe inſuper populi illi ſtomacho utuntur firmiore, & ad cibos concoquendos multo validiore quam nos. Cui ſane ſtomachi ſtrenuitati, ac robori tribuendum puto, ſi tam nimia cibi, carniumque copia ſeſe poſſent ingurgitare. Quandoquidem vero ſaepius dixi divinis Paginis Homerum, Homeroque viciſſim divinas Paginas facem praeferre, age, duo conſideremus exempla e ſacro Codice deſumpta, quae ad id, quod in hac parte apud Homerum abſurdum videtur, explanandum apprime faciunt; unum nempe Abrahami menſam hoſpitibus inſtruentis, quod ſupra attigimus; alterum opiparae, opulentiſſimaeque Salomonis menſae. Abrahamum igitur perhibent ſacrae Literae, ut ſubcinericios panes pro more regionis hoſpitibus pararet, tria ſimilae ſata commiſcuiſſe, ſexaginta videlicet frumenti pondo, unumquodque enim ſatum viginti continet libras, mactatoque vitulo obſonium praebuiſſe. Quod certe convivium non ſolis tribus, ſed multo pluribus apud nos large ſufficeret, non quidem ciborum varietate, ſed copia; ex quo apud Calmetium recte infertur, veteres multo largiore quam nos cibo uti conſueviſſe. Quid autem de Salomonis menſa? Nonne quotidie cibum illius fuiſſe perhibent divinae Literae, libro Regum tertio, triginta coros ſimilae, & ſexaginta coros farinae, nempe panis libra, quingenties ſeptuagies mille, ſeu ſextarios noſtrae menſurae mille centum & quadraginta? Nonne ad inſtruendum obſonium

ſonium decem boves pingues, & viginti boves paſcuales, & centum arietes mactabantur, venatione dempta cervorum, caprearum, hinnulorum, & avium altilium? Equidem puto ad multa hominum millia in Salomonis aedibus verſatos eſſe aulae miniſtros, famuloſque, multumque etiam cibi ad magnificentiae oſtentationem quotidie ſuperfuiſſe. Nihilominus tam effuſus cibi apparatus adhuc videatur abſurdus, niſi eodem confugiamus, eos populos multo magis quam nos eſuriiſſe, & cibos voraſſe. Quid mirum igitur, ſi Homerus, qui circa Salomonis aetatem vixiſſe creditur, largiſſiſsimis & ipſe carnibus Heroum menſas inſtruat? Quid mirum ſi Eumaeus ad parandum Ulyſſi hoſpiti convivium duos occidat ſues? (*Od.* 15.) Quos tamen non duos ſues pingues fuiſſe putem, ſed duos porcellos; eos ſiquidem appellat χοίρες, pingues vero ſues ibidem dicuntur σύες σύαλοι. Itaque cum nullo alio ferme edulio uterentur, quam carnibus, acriorique fame extimularentur, ſtomacho inſuper uterentur validiore; minime mirandum, ſi & carnes rigidas, & longe abundantiores comederent. Ultimo de potione illa cyceone, ſive coceto nuncupata aliquid dicendum. Equidem fateor inſuetis nobis, vel cum narratur iniucundam eſſe, ac moleſtam; non inde tamen inferendum delectabilem non fuiſſe veteribus, ac pergratam, quum ad ſe reficiendos eam ſumerent. Angli etiam hodie vinum cum lacte commixtum potant, eumque potum in deliciis habent.

bent. Unguenta vino permixta antiquos bibere conſueviſſe docet Plinius (*l. 3. c. 18.*) atque Athenaeus. (*l. 13. c. 11.*) Hinc illud Iuvenalis (*Sat. 3.*)

Quum perfuſa mero ſpumant unguenta Falerno.

Nunc vero nos tales potiones quamvis beatioribus uſitatas propter inſuetudinem non minus quam Homericum cyceonem averſamur. Praeterea obſervandum, vinum dulce valde arriſiſſe Graecis. Unde Homerus paſſim nominat *μελιηδέα οἶνον*, *mellitum vinum*. Quae autem ad commiſcendum cyceonem concurrebant, caſeus, farina mel, dulcia omnia. Caepas ipſas, quae illi potui adiungi ſolebant non acris, ſed dulcis ſaporis eſſe in Graecia, maximeque in inſulis Aegei maris, nec odore, quo noſtrae, ingrato affici teſtis luculentus in ſuis itineribus Sponius eſt apud Calmetium. (*Num. c. 11.*) Non igitur faſtidiendus Homerus eſt, aut reprobandus propter ea, quae a moribus noſtris diſſident, dum gentibus illis probata eſſent, uſuque recepta. Quemadmodum enim genus aliquod cibi, ſive potionis aliis populis acceptum nobis eſt inſuave; ſic e contrario quod nobis allubet, & voluptuoſum eſt, aliorum palatum uſu non accedente ſaepe faſtidit. Neque tamen aequum eſſe dixerimus ſiquis propterea nos redarguat, & condemnet, quod iis utamur, quae palato ſuo jucunde non ſapiant.

DIS-

DISSERTATIO XVIII.

De ſtatura, & robore priſcorum Heroum.

SYNOPSIS.

Plura, quae fabuloſa videantur, fabuloſa nequaquam ſunt. Antiquis temporibus vere extiterunt gigantes. Nullo modo illorum ſententia amplectenda, qui gigantis nomen in ſacris Literis metaphorice interpretantur. Multa exempla conglobata afferuntur de proceris cadaveribus per totam Graeciam; atque alibi diſperſis, & frequenter effoſſis, quae probabiliter Heroum Troiani belli eſſe creduntur. Cauſſae cur paulatim imminuta fuerit ſtatura, & robur hominum priſcorum in poſteris, luxuries nimirum, intemperantia, deſidia. Cornelii Celſi luculentum teſtimonium. Carnium copiam comedebant Heroës, ſed nulla condimentorum acceſſione, vinoque liberaliter indulgebant, ſed aqua ferme diluto.

POëtam, ac fabulatorem idem plane eſſe una eſt omnium ſententia, idque poëtae ſuo iam quaſi iure facere videntur, ut quidquid fabularum velint, invehant, illudque carminibus ſuis ſpecioſum reddant; pictoribus ſiquidem, atque poëtis aequam ſemper fuiſſe quidlibet audendi poteſtatem diſertiſſime docet

docet Horatius. Quamquam autem haec vera ſunt, non tamen id omne, quod fabulae ſpeciem praefert, fabuloſum continuo eſſe dederim; quandoquidem veriſimile ex Ariſtotele eſt, multa vera eſſe, quae veriſimilia non ſunt. Profecto habentur in Homero nonnulla, quae ceteris fabulis, quas enarrat, accenſeri ſoleant, quae tamen vel nullo modo, vel non omnino fabuloſa ſunt. Ex quibus duo in praeſentia mihi ſeligenda eſſe putavi, ſtaturam nempe, ac robur priſcorum hominum, qui Troiano praeſertim bello interfuerunt, vocemque Stentoris plane incredibilem. Utrumque enim fabuloſe a Poëta deſcriptum exiſtimant plerique. Dum igitur huiuſmodi argumentum neque incurioſum, neque iniucundum pertractandum ſuſcipio, meas circa illud animadverſiones ſolerti iudicio veſtro, eruditiſſimi auditores, libentiſſime ſubmittam. Ne vero ſim, quam aequum eſt prolixior, neve patientia veſtra abuti videar, bifariam argumentum dividam, & unam rem hodierna diſputatione expendam, alteram vero diſputatione, quae hanc proxime conſequetur. Cum Diomedis Graecorum longe fortiſſimi, ſi unum Achillem excipias, praeclara facinora (*Il. l.* 5.) exornet Homerus, eumque haſta pugnantem, & multos hoſtium, eoſque fortiſſimos interimentem faciat, ad extremum deſcribit ſaxum etiam in Aeneam eiaculantem, eiuſque coxendicem illo ferientem; ſed ſaxum eiuſmodi, ut non duo geſtarent homines, quales modo naſcuntur. En ipſa Homeri verba:

—— ὁ δὲ

——— ὁ δὲ χερμάδιον λάβε χειρὶ
Τυδείδης μέγα ἔργον, ὃ οὐ δύογ' ἄνδρε φέροιεν
Οἷοι νῦν βροτοί εἰσι.

——— *Saxum accipit ingens*
Tydides, quod bina hominum vix terga ſubirent,
Quales nunc tellus producit.

Hoc autem, quod Troiani belli homines ſtatura praeſtantiores eſſent, & robore, alibi etiam ſaepe iiſdem plane verbis indicat, atque adeo de proceriſſimis quibuſdam hominibus, ſive gigantibus ſermonem habet. Sed haec multi non admittunt, & ad ceteras fabulas reiiciunt. Ut rem probe diſpiciamus, animadvertere opus eſt antiquis temporibus vere extitiſſe gigantes. Neque enim illorum ſententiam ullo modo amplectendam exiſtimamus, qui gigantis nomen in divinis Literis metaphorice interpretantur, & ad alium ſenſum, ac manifeſtiſſima ſacri Textus verba praeferunt, temere detorquent. Sed quod iam de hoc alii diſſeruerint, remque planam ſatis ſuperque fecerint, & faſtidioſos huiuſcemodi interpretes validiſſimis rationibus refutaverint, ad eos vos remittimus adoleſcentes, maximeque ad Auguſtinum Calmetium, qui doctiſſimam de Gigantibus diſputationem ſcripſit; ex qua nos ſtudioſe nonnulla ſelegimus, atque huc tranſtulimus. Quos igitur ſacrae Literae referunt proceritate corporis inſignes miſſos faciemus, & aliorum, qui apud profanos ſcriptores commemorantur, maxime vero

apud Homerum, nonnulla afferemus in medium teſtimonia, e quibus ferre poſſitis iudicium, utrum fabuloſum Homeri dictum habendum ſit, an verum. Iam vero Phlegon Adriani libertus (*de r.b. mirab. c.* 12. *et Apoll.*) ubi eluvionis cuiuſdam mentionem facit, quae ad Meſſeniam in Peloponneſo contigit, caſu detectum monumentum eſſe perhibet, in quo hominis calvaria aſſervabatur triplo maior, quam quae vulgo in hominibus conſpiciuntur, in qua nomen *Ideus* Graece inſcriptum erat; unde coniectura ducta eſt caput illud fuiſſe Idei Herois inclyti, & inter gigantes ſtrenuiſſimi ab Apolline, quem ad ſingulare certamen provocavit, interfecti, ut narrat Homerus: (*Il. l.* 9.).

Ἰδεώτ' ὃς κάρτιστος ἐπιχθονίων γένετ' ἀνδρῶν
Τῶν τότε.

Atque Idei, ingenti vicit qui robore cunctos
Quos homines tunc terra aluit.

Thomas autem Fazellus hiſtoricus Siculus (*Dec.* 1. *l.* 1. *c.* 6. *& alibi*) plura affert exempla de cadaveribus gigantum in ea regione identidem effoſſis, inter quae narrat duobus circiter ab hinc ſeculis repertum eſſe in agro Mazarae corpus tam ingenti proceritate, ut eius calvaria modium aequaret, unuſque dens, quem ipſemet in cimeliis apud ſe ſervabat, ſelibrae paene efficeret pondus. Ex quo confirmari poſſit vetus illa

illa traditio de natione Cyclopum apud Homerum, & de Eurymedonte eorum Rege (*Od. l.* 7.)

Ος ποθ' ὑπερθύμοισι γιγάντεσσιν βασίλευεν.

Qui tenuit quondam tumidorum regna gigantum.

In Creta terraemotu rupto monte inventum eſſe corpus ſtans ſex & quadraginta cubitorum refert Plinius (*l.* 7. *c.* 16.) quod alii Orionis, alii Oti fuiſſe arbitrati ſunt. Eſt autem Orion vir ille gigas frater Ephialtis, qui puer novennis corpore erat novem cubitos craſſo, & alto ſex & triginta, ſi Homericae narrationi habenda ſit fides. Narratur quoque prope Romam, ſub Henrico ſecundo Imperatore Conradi filio, effoſſum proceriſſimum cadaver, quod complures docti homines Pallantem eſſe Evandri filium, quem Turnus interemit, iudicaverunt. (*Iac. Philip. Berg. ſuppl. Chron. l.* 3.) Aliud, quod magis fidem ſuperare videatur, refert Boccaccius noſter. (*l.* 4. *Genealog.*) Drepani in Sicilia inter effodienda aedificii cuiuſdam fundamenta caecum, vaſtumque antrum revelatum eſt, quo incenſam praeferentes facem foſſores illi ingreſſi in cadaver hominis inciderunt, de cuius immenſa propemodum magnitudine conieeturam inde capere licet, quod trabem veluti navis antennam pro ſcipione haberet in manu. Tanta immanitas monſtri principio terrorem iniecit foſſoribus, coëgitque e loco ſeſe proripere; ſed ani-

 mis

mis iterum confirmati, & armatorum hominum manu ſtipati redierunt, at gigas vix tactus abiit in cineres. Polyphemus Homero, & Virgilio celebris gigas ille viſus eſt, de quo imitatus Homerum Virgilius cecinit:

Trunca manum pinus regit, & veſtigia firmat.

Sed & Divum Auguſtinum audiamus, de cuius in narrando fide nemo unquam ſine piaculo dubitaverit. *Vidi*, inquit, *ipſe non ſolus, ſed aliquot mecum in Uticenſi litore molarem hominis dentem tam ingentem, ut ſi in noſtrorum dentium modulos minutatim concideretur, centum nobis videretur facere potuiſſe, ſed illum gigantis alicuius fuiſſe crediderim*. (*de civit. l.* 15. *c.* 23.) Decem cubitis altos Troiani belli Heroas fuiſſe perhibet Philoſtratus. (*Heroic. prooem. & c.* 1. *n.* 2.) Agit ille pariter de Aiacis cadavere, cuius ſepulcrum iuxta mare poſitum reducentes arenam fluctus detexerunt, atque in illo inventum eſt cadaver undecim cubitis procerum. Adrianus vero Imperator rudera Troiae inſpecturus adveniens oſſa illa reſtauratum in ſepulcrum recondi iuſſit. Cui Philoſtrati de Aiace teſtimonio fidem aſtruit Pauſanias, qui narrat in Atticis eius Herois tumulum, qua mare reſpicit, aditu facilem eſſe, inde vero argumentum de viri ſtatura capiendum, quod genuum vertebrae, ſive molae athletici inſtar diſci eſſent. Meminit inſuper idem Philoſtratus de gigante, cuius cadaver quidam e neceſſariis

ceſſariis ſuis in Inſula Coo ante quatuor annos e latebris eruerat. Spectaſſe item ſe teſtatur, cum ad inſulam Lemnum adveniſſet, oſſa gigantis a Menecrate quodam detecta, ex quibus diſſoluta licet compage, coniectare licebat maximam hominis proceritatem, cuius calvariae tanta erat capacitas, ut duas Cretenſes amphoras ſuperaret. Et complura alia huiuſce rei exempla congerit in ſuo illo opere de rebus Heroicis. Quae nequaquam a Philoſtrato mendaciter recenſeri ex Pauſania diſcimus, qui ſcriptor eſt fide digniſſimus, teſtiſque cadaverum giganteorum per totam Graeciam diſperſorum luculentiſſimus. Sed ſi haec vera ſunt, inquitis, cur ſtatura hominum a Troiani belli aevo decurtata eſt, roburque imminutum? Nam cum priſcos illos Heroas tum ſtatura proceriores, tum robore praeſtantiores Poëta exhibet, eos longe hominibus ſui temporis antecellere praedicat, ſicut hic videtis in Diomede, quem dicit (ut ex allatis ſuperius carminibus cognoſtis) ſaxum manu ſola prehendiſſe, idque maxima cum agilitate, quod duo viri ſui ſeculi ferre non potuiſſent. Quam afferam huiuſce rei cauſſam, utrum admiſſuri ſitis ignoro, auditores, afferam tamen. Veriſimile eſt victum frugalem, quo illi utebantur, laboris ſtudium, quem minime detrectabant, vitamque a vitiis valde alienam in cauſſa fuiſſe, ut corporis magnitudine, optimaque, & integerrima valetudine pollerent, adeoque robuſtiores eſſent, quam qui conſequutis temporibus vixerunt,

xerunt, quos omnis paulatim luxuria, atque intemperantia, omniſque deſidia corrupit, ac peſſumdedit, quibus corpora frangi, vireſque imminui, ac langueſcere certiſſimum eſt; unde & morbis magis fuerunt obnoxii poſteri, quam veteres illi homines, quos non Homerus ſolum, ſed & alii, qui ſimilia pertractant, nullo morbi genere conflictatos eſſe tradunt, niſi coelitus immiſſo, ut Iliados libro primo peſte ab Apolline immiſſa conflictati ſunt Graeci. Haec autem ne inaniter dicta eſſe, & a veritate abeſſe credatis, graviſſimi ſcriptoris Cornelii Celſi facit auctoritas. (*l. 1.*) *Homero auctore*, inquit ille, *diſci poteſt, morbos tum ad iram Deorum immortalium relatos, & ab iiſdem opem poſci ſolitam, verique ſimile eſt inter nonnulla auxilia adverſae valetudinis plerumque tamen eam contigiſſe ob bonos mores, quos neque deſidia, neque luxuria vitiarent. Siquidem haec duo, corpora prius in Graecia, deinde apud nos afflixerunt. Ideoque multiplex iſta medicina neque olim apud Graecos, neque apud ullas gentes neceſſaria vix aliquot ex nobis ad ſenectutis principia perducit.* Haec ille. Quod ſi cui hae rationes ſatis non ſint, cur ſtatura, roburque hominum ſit imminutum, addi poteſt hanc etiam ſeneſcentium temporum naturam fortaſſis eſſe, ut quo longius in mundo progredimur, eo imbecilliora reddantur omnia, non ſecus ac annis ingraveſcentibus virtus hominum frangi, ac debilitari ſolet. Sed adhuc fortaſſe rationi neutiquam conſentaneum putabit aliquis, nec credere

dere ipſummet Homerum potuiſſe in animum inducet, tam brevis temporis ſpatio, centum circiter annorum curriculo (nam ex communi τῶν χρονολόγων calculo, atque ex ipſo Plutarcho tot interfluxerunt anni inter bellum Troianum, & Homeri tempora) tam inſigne humanae proceritati, ac robori decrementum obtigiſſe. Ut ut tamen res ſeſe habeat, Virgilius certe in huiuſcemodi dicto Homero fuit multo audacior, atque intemperantior. Ait enim de Turno, ingens ſaxum, quod in agro iacebat, neque non ſolum duo, ut habet Homerus, ſed ne duodecim quidem homines, quales nunc ſunt, geſtarent, ab illo prehenſum, atque in Aeneam fuiſſe contortum. (*Aen. l.* 12.)

Vix illud lecti bis ſex cervice ſubirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Huc etiam reſpexit Iuvenalis ſatyra decima quinta:

Saxa inclinatis per humum quaeſita lacertis
Incipiunt torquere, domeſtica ſeditione
Tela; nec hunc lapidem, quali ſe Turnus & Aiax,
Et quo Tydides percuſſit pondere coxam
Aeneae, ſed quem valeant emittere dextrae
Illis diſſimiles, & noſtro tempore natae;
Nam genus hoc vivo iam decreſcebat Homero.
Terra malos homines nunc educat, atque puſillos.

Non inficior tamen poëticae exaggerationi aliquid for-

fortaſſe tribuendum eſſe ; ut non ad philoſophicam amuſſim , ſed ex aliqua exſuperantia , atque ὑπερβολικῶς locutus ſit , ubi Heroum ſtaturam , & robur deſcripſit ; nihilominus ex tot allatis teſtimoniis facile credi poſſit adhuc ex antiquiori aevo nonnullos homines Heroicis temporibus ſupereſſe multo proceriores , ac robuſtiores , quam homines temporum conſequutorum ; Homerum vero id generatim de Heroibus fere omnibus affirmaſſe , ut maiorem ipſis aeſtimationem conciliaret , bellique Troiani a ſe habitam narrationem faceret luculentiorem. Neque enim crediderim id unquam Homerum dixiſſe , niſi probabiliter dicere potuiſſet ; Homerum inquam adeo ſolertem , adeo prudentem , adeo callidum, ut proinde proponatur ubique tamquam exemplar abſolutiſſimum ſcriptoris maximi iudicio praediti . Nam quod in arte Horatius praecipit

Ficta voluptatis cauſa ſint proxima veris ;

ipſemet ex Homeri exemplis didicit. Sed ad aliud, quod rurſus obiicitur , reſpondendum . Quomodo , inquiet aliquis veſtrum , hanc in Heroibus illis ſobrietatem , & intemperantiae vacuitatem modo commendas , qui ſuperiori diſputatione de cibo , potuque Heroum differens , ingentem carnium copiam eos comedere fuiſſe ſolitos , vinumque affatim bibiſſe affirmaſti ? Affirmavi ſane , ſed vinum numquam non aqua in cratere dilutum potabant , aliquo dempto exemplo , quod raro admo-

Digitized by Google

admodum contigit. Carnes multas comedebant; ſed nulla horum condimentorum acceſſione, quae nihil aliud ſunt, quam ſuavia eſcis admixta venena; nam ut in Plauti Bacchide eſt: *Hoc quidem homines tam brevem vitam colunt, quod condimenta huiuſmodi in ſuam congerant alvum*. Et rurſus in Pſeudolo veriſſime ait: *Condimenta ſunt, quae inteſtina convivis exedunt*. Nulla tunc gulae irritamenta, nulla bellaria, cupedia nulla, nullae mattyae. Aridus, ac parabilis cibus, panis videlicet, & caro aſſa, vinumque aqua commixtum, totus erat vel opipararum menſarum apparatus. Nuſquam Heroum ebrietas, nuſquam crapula; uno verbo certum eſt, nihil obſtitiſſe intemperantiam, quin ſtatura proceriores, & robore validiores, & a morbis immunes fuerint, ut ex Celſi teſtimonio dicebamus.

DISSERTATIO XIX.

De voce Stentoris.

SYNOPSIS.

Aerea vox Stentoris non pro infragili, ſed pro immenſa uſurpatur ab Homero. Aes campanum turris veterum Aedium regiarum in foro maximo. Sennacheribi clamor adverſus Iudaeos obſeſſos. Herodotus cuiuſdam Aegyptii meminit vocaliſſimi. Vox teterrima cuiuſdam lenonis apud Boccaccium. Traſybulus Athenienſium Dux vocis magnitudine perinſignis. Carneadis Philoſophi maxima, ac ſonantiſſima vox. Concertantium in philoſophicis, aut theologicis diſputationibus clamor. Stentorea vox in cantu. Ingens vox roboris, ac fortitudinis indicium. Voce bonus Menelaus, aliique Heroës appellati. Vox magna leonis, & tauri. Neptuni clamor paene incredibilis. Laus Daceriae, quae Homericum locum elegantiſſime in Gallicum ſermonem vertit. Quomodo Virgilius locum de Stentore imitatus ſit. Vox Stentoris in proverbium abiit. Tota Ilias in membrana deſcripta, quam teſta nucis caperet. An id fabuloſum. Siglis, ac notis compendiariis Graeci amanuenſes abundabant. Catecheſes Cyrilli Ieroſolymitani extemplo dictae, ab amanuenſibus exceptae. In inteſtino draconis utrumque Homeri poëma aureis litteris deſcriptum.

Calli-

Callicratis , ac Myrmecidis tenuiſſimi currus , qui ſub alis muſcae abſcondebantur . Minutiſſimis etiam literis ſcripta quaedam noſtrorum temporum .

AN fieri poſſit , ut vox hominis unius tam ingens ſit , ac ſonora , ut quinquaginta voces hominum conclamantium adaequet ? Res plane mira , & quae fidem ſuperet . Homerus tamen talem tantamque vocem valuiſſe emittere Stentorem affirmat ; de qua , quemadmodum pollicitus vobis ſum , hodierna diſputatione verba mihi facienda ſunt . Homeri locum , qui in fine libri quinti Iliadis habetur , primum omnium recitemus :

> Ενθα στᾶσ' ἤϋσε θεὰ λευκώλενος ἥρη
> Στέντορι εἰσαμένη μεγαλήτορι χαλκεοφώνῳ ,
> Ος τόσον αὐδήσασχ' ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα .

Quos verſus ad hunc modum Latine ſumus interpretati :

> *Stans ibi clamavit Dea candida Iuno lacertos*
> *Stentora ſe ſimulans , cuius vox aerea , clamorque*
> *Aequabat clamantia guttura quinquaginta .*

Aerea igitur voce praeditum Vates appellat Stentorem , non ea ſignificatione , ut vox eius eſſet infragilis ἄῤῥηκτος (quamquam & haec ſignificatio voci aereae poſſit attribui) ſed quod longe , lateque exaudiretur , ut mox ſubdit ; quandoqui-

dem, tantum ſoni ipſe ſolus edebat voce ſua, quantum quinquaginta alii, qui ſimul vociferarentur. Appoſite autem vocem hanc aeream dixit. Aes enim, aut cuprum magnam habet vim ad ſonitus ingentes in aëre ciendos, in cuius rei teſtimonium afferri poſſunt aerea, ut aiunt, campana, quae ad multa paſſuum millia exaudiuntur; inter quae celeberrimum illud fuit, quod ſtupendae turri veterum nobiliſſimarum aedium, quae in foro maximo huius urbis ad ſummi magiſtratus ſedem excitatae olim ſunt, includebatur, cuius tanta erat moles, ut plures homines aegre valerent illud pulſare. Nomen autem Vaccae ei a vulgo attributum fuit, a nomine, ut puto, ipſius turris, quae ante etiam quam maxima illa nola ſibi committeretur, turris Vaccae gentilitio praeclariſſimae familiae nomine vocitabatur. *Vacca mugit*, longinqui ab urbe populi, ad quos vel ad quatuordecim millia paſſuum ſonus eius diffundebatur, dictitare ſolebant; mugitus enim ille ſaepe ad arma cives convocabat. Sed haec praetereamus, quae obiter indicaſſe neque ab re abſonum, neque vobis iniucundum fuerit, ſpectatiſſimi iuvenes. Praetereundum autem non eſt magnam vocem in loco quem explicamus ſatis appoſite tributam eſſe ab Homero Iunoni, ſiquidem nihil aliud vox eſt, quam percuſſus aër per Iunonem ſignificatus. Oportuit autem Iunonem ſic vociferari, ut videlicet omnes in tam magno exercitu clamantem audirent. Succurrit mihi quid

pror-

prorſus ſimile in ſacris Literis de Sennacheribo impio illo Aſſyriorum Rege, qui cum urbem Ieroſolymam Ezechiae aetate obſidione vallaſſet, e caſtris ſuis extremum minitabatur excidium obſeſſis, ut talibus minis perterriti manus darent. (2. *Paralip.* 32. 18.) *Clamavit autem*, inquit divinus Scriptor, *voce magna*, Stentorea ſcilicet, ut ego interpretor. Alioquin quomodo a populis, qui in muris erant urbis obſeſſae exaudiretur? Exauditus eſt autem, eiuſque teterrimis minis perterritus Ezechias Rex opem ab exercituum Deo impetravit, & retulit. Quapropter miror ſane hunc Homeri locum adeo nonnullis diſplicuiſſe, tamque abſurdum, incredibilemque arbitratos eſſe, ut verſiculum illum, quo facit Poëta vocem Stentoris quinquaginta hominum vocibus parem, expunxerint; in multis enim codicibus non legi teſtatur Euſtathius. Miror, inquam; nam abſurdius eſt, atque incredibilius, quod de Neptuni boatu idem Homerus narrat, ut mox dicemus; nec tamen locus ille expunctus eſt; cur igitur expungatur alter, qui prae illo longe modeſtior eſt? Ceterum in hiſtoria etiam Herodotus meminit cuiuſdam Aegyptii omnium mortalium ſimilem in modum vocaliſſimi, qui in caſtris Darii erat. Porro Stentor hic, de quo meminit Homerus, in mentem mihi revocat hominem illum peſſimum, & lenonia arte infamiſſimum, qui ingenti atque horribili voce e feneſtra domus Andreuccium Peruſinum apud Boccaccium noſtrum exterruit, atque ab aedibus expulit,

pulit, dum per maximum dolum ab improba, quae intus habitabat, muliere rapto ſibi marſupio argenti pleno, nocte intempeſta eiuſce domus fores pulſabat, ut intro reciperetur. (*Fab.* 5. *diei* 2.) Eius enim teterrimam vocem tam graphice depinxit, ſolerterque expreſſit paucis quidem, ſed ſignificantiſſimis verbis Scriptor noſter celeberrimus, ut non minorem, quam Homerus admirationem, & laudem mereatur. Traſybulus quoque dux claſſis Athenienſium vocis magnitudine perinſignis fuiſſe traditur, qui auctor fuit, ut militari ſuffragio Alcibiades ab exilio revocaretur. Memini etiam me legere in Carneade Cyrenenſi Philoſopho, quem *μεγαλοφωνόταλον*, hoc eſt vocaliſſimum deſcribunt Plutarchus, & Laërtius, qui maximam, ac ſonantiſſimam vocem, qua pollebat, moderari vix poterat, adeo ut dum in gymnaſio doceret, ingenti voce ſua audientium aures obtunderet, ac paene ſurdos faceret nimio clamore; quamobrem ſaepius eum monere gymnaſiii princeps coactus eſt, ne tantopere clamaret. Cui aliquando ille dixit, *Da mihi vocis modum;* cui gymnaſiarcha: *Modum habes auditores tuos*. Praeceptum hoc inculcandum ſane foret concertantium pleriſque in philoſophicis, ac theologicis diſputationibus, ſaepe enim, tam immodice vociferantur, ut miſeris auditoribus eorum clamor (Plautine loquar) cerebrum excutiat. Fidem etiam adſtruunt Stentoreae voci ab Homero deſcriptae Monachorum quidam, dum vel in templis laudes Deo perſolvunt, vel mortuos

tuos deducunt ad tumulum per vias urbis circumeuntes. Eorum enim aliquis unus ſaepe tonitru vocis ſuae ceterorum aſſeclarum cantum plurium quandoque quam qinquaginta vel exaequat, vel etiam ſuperat, magna interea popelli corona ſacrum illum Stentorem, dum offert (verbo dicam Davidico) *vociferationis hoſtiam* ſtipante, admirante, magniſque applauſibus extollente. Illud vero nequaquam ſilendum, ingentem vocem roboris indicium eſſe, ac fortitudinis. Qui enim magna, claraque voce praeditus eſt, magnum etiam thoracem habet vaſtumque, cui calidum cor ineſt, ac ſtrenuum, (ut putant aliqui philoſophi) ex quo animi fortitudo, corporiſque robur proveniunt. Hinc paſſim apud hunc Poëtam βοὴν ἀγαθὸς, *voce bonus Menelaus*, aliique Heroës appellantur. Hinc Hector cum multas caedes patraſſet, & in Teucrum aurigae ſui interfectorem ira percitus urgeretur σμερδάλεα ἰάχων, horribiliter vociferans ab eo dictus eſt. (*Il.* 8.) Et Ariſtoteles ingentem vocem tauro, atque leoni ineſſe tradit, quod robuſtiſſima, ac fortiſſima animalia ſint. Cui divus Ioannes in Apocalypſi (*c. 6. v.* 1.) conſonat, qui leoni vocem tamquam *tonitrui* attribuit. Sed de Neptuni voce iam dicendum, quae fidem multo magis, quam vox Stentoris ſuperare videtur, ut ſupra aiebam. Itaque cum Neptunus res Graecorum in peius ruere videret, Achille adhuc in ira obſirmato, & a pugna abſtinente, Agamemnoni animos addit, eumque

ut

ut cum hoſtibus acriter dimicet adhortatur. Ubi vero Agamemnonem ſtimulaſſet, ut pariter incitaret omnes Achivos, fortiter clamavit, tanta ſcilicet voce, tantoque clamore, quantum emitterent novies, vel decies hominum millia in bello. Quo facto magnum plane robur in Graecorum pectora immiſit. En Homericum locum

Ὡς εἰπὼν μέγ' ἄϋσεν ἐπεσσύμενος πεδίοιο,
Ὅσσον τ' ἐννεάχιλοι ἐπίαχον, ἢ δεκάχιλοι
Ἀνέρες ἐν πολέμῳ ἔριδα ξυνάγοντες ἄρηος.
Τόσσον ἐκ στήθεσφιν ὄπα κρείων ἐνοσίχθων
Ἧκεν, ἀχαιοῖσιν δὲ μέγα σθένος ἔμβαλ' ἑκάστῳ
Καρδίῃ, ἄλληκτον πολεμίζειν, ἠδὲ μάχεσθαι.

Quae carmina ad hunc ferme modum Latine verti poſſe cenſuimus.

Sic fatus campum inſiluit, clamoribus auras
Implens; nam quantum clamant novies decieſque
Mille homines cum caſtra ruunt Mavortis in arma;
Tantam Neptunus miſit de pectore vocem,
Adderet ut robur Grais in praelia longa.

Quamquam vero cum immodica quadam ſermonis exuperantia haec dicta eſſe a Poëta videantur; non tamen abſurdum puto, imo Deo valde decorum, ſi tantam vocem emittere potuerit, quum praeſertim Neptunus aquarum Deus haberetur. Quis enim ignorat ingentem maris ſonitum, cum procellis exagitatur? Certe cum

Ioan-

Ioannes vocem ſummi Numinis exprimeret in Divina revelatione inquit, vocem illius ſe audiviſſe, tamquam *vocem aquarum multarum*. Nimis ergo frigide, putideque Homeri dictum interpretatur Ariſtarchus; cum enim tanta Neptuni vox ſibi prorſus videretur incredibilis, non legebat ἐννεάχιλοι, ἢ δεκάχιλοι, *novem* nimirum, *aut decem millia*; ſed ἐννεάχειλοι, ἢ δεκάχειλοι, hoc eſt, *novem*, *aut decem labia*, quod idem eſt, ac novem, decemque homines. Sed hoc modo nihil grande de Deo dixiſſet; ſi enim Stentor tantum clamabat, quantum quinquaginta homines; Neptunus profecto tantus Deus non minorem, ſed multo maiorem hominum clamantium numerum exaequare debuit. Hic vero ſatis admirari non poſſum ſolers illius nobiliſſimae feminae e Gallia iudicium, quae Homerum patrio ſermone elegantiſſime interpretata eſt, Daceriae inquam, quae cum videret huiuſmodi expreſſione pulcherrima quidem in Graeca lingua, nequaquam ſibi licere cum laude uti in Gallica, ſimulque nollet tam pulchrum Poëtae dictum ſive omittere, ſive imminuere, prudenter dixit vociferatum eſse Neptunum quantus clamor eſſet totius exercitus irrumpentis in pugnam. Hac enim ratione, & Homericam ſententiam tenuit (niſi etiam amplificavit; ſiquidem totus exercitus ad centum millia virorum pertingebat) & tamen huiuſmodi dicendi forma uſa eſt, quae neque duriuſcula eſſet, neque elegantiae linguae ſuae inconcinna. Quod vero Neptunum Deum

tam magnum, atque inſignem clamor ille optime deceret, probare poſſem ſimilibus dicendi formis, quibus Dei vocem exprimit ſacer Codex. Pſalmorum enim Scriptor ait: *Vox Domini in magnificentia.* (*Pſ.* 28. 4.) Et rurſus: *A voce tonitrui tui formidabunt.* (*Pſ.* 103. 7.) Iobus vero: *Tonabit voce magnitudinis ſuae.* (*c.* 37. *v.* 4.) Sed ut abſolvamus alterius, quem attulimus, prioris loci explanationem de voce Stentoris, notandum eſt quomodo imitatus ſit illum Virgilius, diverſo nempe ſenſu. Homerus enim vocem aeream ibi uſurpavit pro voce immenſa longe, lateque ſonum ſuum diffundente, ut declaravimus; Virgilius vero vocem ferream dixit pro voce infragili, quae clamando non deficit: (*Aen. l. 6.*)

Non mihi ſi linguae centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes ſcelerum comprendere formas,
Omnia poenarum percurrere nomina poſſem.

Ubi inſuper obſervandum, quod Virgilius pro aerea, ut eſt apud Homerum, dixit ferream, moribus ſuae aetatis ſe prudenter accommodans, quae magis habuit in uſu ferrum, quam aes, cum contra Heroicis temporibus magis in uſu eſſet aes temperatum, quam ferrum, ut decima ſexta diſputatione demonſtravimus. Denique pro comperto eſt, vocem Stentoris abiiſſe in proverbium, quod apud Iuvenalem legitur ſatyra decima tertia:

Tu

Tu miſer exclamas, ut Stentora vincere poſſis.

Cum vero duabus hiſce poſtremis diſputationibus duo ab Homero recenſita miracula explanaverim, videlicet ſtaturam, ac robur Heroum Troiani belli, vocemque Stentoris, & quae fidem ſuperare videbantur, credibilia niſi fallor, fecerim; aliud etiam miraculum pro huius ſermonis corollario, breviſſime expendam, non quod in Homero ſit, ſed quod ipſum reſpiciat. Illud enim diſſertatione tertia commemorabam, cum vos ad Homeri ſtudium adhortarer, ſpectatiſſimi adoleſcentes, nempe totam Iliadem in tenuiſſima membrana antiquitus fuiſſe deſcriptam, quam complicatam teſta nucis caperet. Quod cum vobis narrarem, nihil de ea re me ſtatuere memini, utrum vere, an falſo memoriae proditam eſſe exiſtimarem. Vos autem iam tum, adoleſcentes, expectatis, & a me veſtro quaſi iure poſtulatis, ut meam vobis opinionem patefaciam, ac noſſe cupitis, utrum ad hiſtoriam, an ad fabulas id amandandum putem, & quandoquidem alia illa duo miracula tuitus ſum, an aliquid praeſto mihi ſit, quo & huic fidem adſtruam. En vobis indulgeo, quaeque habeo ad rei, quae fidem omnem ſuperare videtur, veriſimilitudinem comprobandam indicabo potius, quam explicabo. Nux illa ex maioribus fortaſſe fuerit, membrana autem ex tenuiſſimis, quales Sinenſium ſunt, aëri potius, quam craſſae materiei ſimiles, adeo ut explicata in magnam ſuperficiem extenderetur,

 com-

complicata in parvum globulum contraheretur, praeſertim cum & complicatio artificioſe facta multum conferre potuerit ad membranam ſubtilius contrahendam. Praeterea dicere poſſem, totam ibi ſcriptam fuiſſe Iliadem per ſiglas, ſive literas ſingularias, ſive etiam notas compendiarias, quibus Graeci amanuenſes antiqui incredibiliter abundabant, ita ut poſſent excipere orationes, quas populo dicerent Patres Graeci, ut de Catecheſibus pulcherrimis, ac doctiſſimis Cyrilli Ierosolymitani certiſſimum eſt; quae proinde *αὐτοσχεδιασθεῖσαι* inſcriptae ſunt, hoc eſt ex tempore dictae, quaeque ad nos hac via devenerunt, alioquin in aërem evanuiſſent maxima Reipublicae Chriſtianae iactura. Habeo auctoritatem Ciceronis, Plinii, Solini, atque aliorum, qui id memoria prodiderunt. Habeo aliud ſimile, quod narrat Zonaras, & Cedrenus; videlicet in Bibliotheca Conſtantinopolitana librorum pleniſſima, quae ſub Baſiliſco Imperatore conflagravit, inter alia fuiſſe: *τὸ τοῦ δράκοντος ἔντερον, ἐν ᾧ ἦν γεγραμμένα τὰ τοῦ ὁμήρου ποιήματα, ἥτε ἰλιὰς, ϗ ὀδυσσεία χρυσέοις γράμμασι μετὰ ϗ τῆς ἱστορίας τῆς τῶν ἡρώων πράξεως*: hoc eſt, *draconis inteſtinum, cui Homeri poëmata Ilias, & Odyſſea aureis literis fuerunt inſcripta, cum hiſtoria rerum ab Heroibus geſtarum*. Habeo ex Plinio (*l.* 7. *c.* 21.) Callicratem, ac Myrmecidem currus ex ebore fabrefeciſſe, qui ſub muſcae alis abſconderentur. Habeo & exempla noſtris quoque temporibus prolixioris ſcripturae minutiſſimis literis

in modica chartula exaratae, quae nudis oculis legi nequeunt ſine lenticularis perſpicilli ope. Habeo omnia haec, quae ſi vobis non ſufficiunt ad fidem narrationi huiuſmodi plane arduae creditu conciliandam, nihil aliud praeterea, quod vobis afferam, habeo.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO XX.

Quae ſummam totius Iliadis nonnullis animadverſionibus illuſtratam exhibet.

SYNOPSIS.

Haec ſumma Virgiliano aenigmati coeli, ac tabulae geographicae comparata. Magis unum Achillem, quam totum Graecorum exercitum timent Troiani. Centum millia virorum in Graecorum acie numerata ſunt. Catalogus copiarum, naviumque pleniſſimus veterum hiſtoriarum theſaurus. Commentaria in hunc catalogum antiquitus ſcripta. Quid Homerus intellexerit in Minerva Pandaro ſuadente, ut foedus iuramento ſancitum violaret. Ethnici putarunt Deos humanis affectionibus & calamitatibus obnoxios vulnerari poſſe, non autem mori. Mille Graecorum fuerunt naves. Pro muro ad eas defendendas ſatis erat Achilles. Ex orationibus, quas ad Achillem habuerunt miſſi Oratores, multum profecit Demoſthenes. Uberrima rerum varietas apud Homerum mirifice delectat. Iovis ſomnus explicatur. Alexandri M. ad Achillis tumulum fletus. Boivinius aere caelatam clypei Achillis figuram dedit. Plurimum antiquae eruditionis hauriri poteſt ex deſcriptione pyrae atque exequiarum Patrocli. Homeri & Virgilii comparatio

tio in deſcriptione ludorum ſive certaminum. Regiis aedibus Iliacum Homeri poëma aſſimilatum.

UT Homeri amorem iuſtamque exiſtimationem in animis veſtris excitaremus, diſputationibus ad hunc diem habitis laboravimus, adoleſcentes, qua eius magnitudinem, ſapientiam, elegantiam vobis commendando; qua criminationes, quibus immerito nonnulli eum ſugillarunt, & proſciderunt, refellendo; qua maiores difficultates emolliendo aut enodando, quae offenſionem tironibus facile afferre poſſent. Antequam modo progrediamur ad alia, eaque maxime evolvamus, quae ad Deos pertinent, Iliadem omnem ſub unum conſpectum vobis dare conſtituimus, ut eius ſemel praecognita ſumma, accepto veſtris mentibus quaſi ſemine uberiorem fructum, dum poëma hoc domeſticis inſtitutionibus vobis exponimus, edere poſſitis. Aenigma coeli, ut opinor, in ſpeculo, aut lebete aquae pleno repraeſentati Damoetas apud Virgilium (*ecl.* 3.) ad hunc modum Menalcae propoſuit:

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat coeli ſpatium non amplius ulnas.

Non aliter ego, adoleſcentes, Iliadis imaginem, quam nobiliſſimi caeli inſtar ſplendido, ac beatiſſimo optimatum rerum apparatu latiſſime explicavit Homerus, hac brevi diſputatione contractam

tractam vobis exhibeo. Aut quemadmodum ingentes terrae tractus, qui in tot regiones ac regna diſpeſcuntur, & diſterminantur, perangu-ſto pagellae ſpatio oſtendunt Geographi, quam inſpicere atque expendere utiliſſimum eſt longinquam peregrinationem habituris; ſic Iliaci poëmatis amplitudinem nonnullis admixtis utilibus animadverſionibus hodiernus ſermo coarctat, in quem intendiſſe mentis aciem valde vobis proderit, quos ad percurrendum alacri ſtudio tam vaſtum Homericae ſapientiae regnum accinctos video. Irato igitur Achille (*l.* 1.) & a pugna ceſſante (cuius irae cauſſam octava diſputatione expoſuimus) Troiani, qui totis decem annis egredi ad pugnandum minime auſi fuerant, tandem eruperunt. Quid praeclarius, ac magnificentius ad Achillem concelebrandum excogitari poterat, quam facere Troianos feroces alioqui populos, ac bellicoſos, eius magis unius fama perculſos & conterritos, quam tot ceterorum invictiſſimorum Ducum una conſpirantium, totiuſque Graeci agminis, quod militibus centies mille conflabatur, pertimeſcentes virtutem? Tunc Iupiter immiſſo ſomnio Agamemnonem monet, ut copias in praelium educat. Congregatis ille optimatibus quid conſilii animo verſet oſtendit, utque militum exploret animos, in patriam hortatur fugere. Quos tamen ad diſcedendum ſe parantes (pigebat enim tot annos infecta re a patria abeſse) Ulyſſes, & Neſtor concione habita detinuerunt. (*l.* 2.) Nam hoc ipſum volue-

rat Agamemnon, ut eo tentamento vel populos in bellum animatos videret, vel ſi mallent abire, eos in officio continerent, & ad pugnam extimularent praeſtantiſſimi Duces. Poſt haec copiarum naviumque Graecarum κατάλογον attexuit Vates, quem qui contemnunt, aut faſtidiunt, inſcitiam ſuam palam faciunt, pravumque iudicium. Non enim ſterilis quaedam, atque inſulſa recenſio eſt, qualem plerique exiſtimant, ſed pleniſſimus antiquarum hiſtoriarum, & γενεαλογιῶν theſaurus; quarum cognitio ad plura, quae ſequuntur, intelligenda neceſſario requiritur. Quare Homerus Muſam initio invocat, ut oſtendat res plane magni momenti ſe ibi ſuſcipere narrandas. Sane Moſes ad eumdem modum in Numerorum libro familias & tribus diſcrevit. Duodecim volumina Apollodorus, tria vero & viginti Monogenes in hunc κατάλογον ſcripſiſſe dicuntur, quae culpa temporum interciderunt. Satis tamen eſt ad eius pretium aeſtimandum ſuper eſſe Strabonem, qui paſſim ſuis in libris hunc κατάλογον citans oſtendit ſe non minus bonum geographum, quam poëtam Homerum praeſtitiſſe. Cavete igitur, ne hanc recenſionem parvipendatis, adoleſcentes. Inſtructis utrimque exercitibus (*l.* 3.) Alexandro, ſive Paride Menelaum ad ſingulare certamen provocante factae ſunt induciae, omniumque iuramento ſancitum, ut ceteris in acie quieſcentibus, qui alterum vinceret, Helenam, & eius opes acciperet. Victum Alexandrum ſurripit Venus; Alexander videlicet

mollis ac venereus, ut ego interpretor, fuga ſibi proſpexit, ne ab hoſte interimeretur. Tunc Pandarus violatis foederibus iaculo Menelaum petit, ſauciatque; cuius vulneri dum Machaon adhibet medicinam, Agamemnon hortatur ſuos ad pugnam; in qua confertim multi utrimque ſternuntur. Sed impium hic plerique Homerum coarguunt, quod Minervam fecit (*l.* 4.) ſuadentem Pandaro, ut foedera violaret. Nihilominus a culpa nos abſolvimus, cum nil aliud docere voluerit, quam Dei Providentiam, ſive Sapientiam in Minerva adumbratam permiſiſſe, ut a Pandaro per ſummum ſcelus initi foederis iuramentum infringeretur; cui Homericae locutioni conſimiles paſſim habet divinus Codex, quemadmodum, ubi de Diis agemus, uberius demonſtrabimus. In eo conflictu Minervae auxilio (*l.* 5.) ſtrenue rem gerit Diomedes, nec ſolum hoſtium complures obtruncat, ſed Venerem in manu, Martemque in ventre vulnerat. Quod ob factum rurſus cenſores aliqui tum veterum, tum recentiorum in Homerum inſurgunt, accuſantque graviter, quod vulnerabiles Deos fecerit. Sed cum vulgi opinio (ut ſuo loco videbimus) humanis affectionibus, & calamitatibus Deos quoque haberet obnoxios, ac vulnerari poſſe crederet (quamvis eſſent immortales, nec ſanguine conſtarent, ſed ichore) nullius culpae in eo commento Vates putandus eſt reus. Deos itaque vulneratos curavit Paeon Deorum medicus. Verum eos obiurgat Iupiter, quod

quod temere in illud diſcrimen ſe coniecerint; qua deterriti obiurgatione Dii praelio abſiſtunt, Graecis interim ingenti ſtrage plurimos Troianorum mactantibus. Cuius ſtragis horrificam narrationem opportune temperat Homerus Glauci, ac Diomedis interiecto colloquio (*l. 6.*) qui paternam amicitiam recognoſcentes permutant arma intet ſe, ut cavere poſſint ab inferendo ſibi invicem damno, ſi forte iterum obvii fiant. Mox alteram narrat Vates ad *μονομαχίαν* provocationem. Quod enim factum a Paride, fecit & Hector, ſed honeſtiori exitu. Namque Heleno conſulente, Graecorum praeſtantiſſimum quemcumque Heros ille laceſſit, ut ad manus ſecum conferendas in medium prodeat. Novem illico ſurrexerunt (*l.* 7.) e quibus ſortitione facta Aiax Telamonius delectus. Cum vero ſtrenuiſſime decertarent ambo, neuterque alteri praevaleret, veſperaſcente iam die, a praeconibus dirimuntur. Poſtridie eius diei cum induciae factae eſſent Troianorum rogatu, ſublata utrimque cadavera, & a Graecis murus extructus, quo mille navium ſtationem defenderent. Mille ſiquidem ſupputantur naves, quas in catalogo Homerus recenſuit. Hic vero animadvertite, auditores, Achilli diſſimulanter a Poëta tributam laudem longe maximam. Lectori enim inferendum hinc relinquit, quod muro antea non opus fuerat, quia pro muro erat Achilles. Verum Iupiter cum Diis & Deabus omnibus vetuiſſet alterutri partium opitulari, in Idam de-

ſcendit (*l.* 8.) fecitque ſtatim , ut Graeci , qui pari virtute , ac Troiani dimicaverant , neutram in partem inclinante victoria , iam minus valerent . Cumque Iuno & Minerva Iovis iuſſa detrectantes diſceſſum pararent , ut Graecis ſuppetias ferrent , Iridem ad eas inhibendas miſit Iupiter . Nocte autem adventante , concione habita , Hector metari ſuos caſtra iubet , & accenſis ignibus per totam noctem colluſtrare . Iam vero Agamemnon coepit timore frangi , animumque deſpondere (*l.* 9.) quod Troianis ab Iove dari videret proſperos belli ſucceſſus , Graecis vero exitium impendere ; quamobrem iterum ſuadet ſuis , ut relicta Troia ad patriam fugiant . Acriter eius ſententiae Diomedes , & Neſtor adverſantur , mavultque Neſtor , ut ad Achillem legati mittantur , qui acceptae iniuriae luitionem & multam Agamemnonis nomine offerant , obſecrantes , ut poſita ira placari velit , & ad bellum redire . Annuit Agamemnon ingruente malo iam reſipiſcens , ſed Achilles inexorabilis , acer renuit . Quis autem explicare valeat orationum graviſſimarum mirificam vim , quas duo illi praeclariſſimi viri , qui miſſi ſunt , Ulyſſes nimirum & Aiax (quibus tertius accedit ſenior Phoenix legationis ſocius & dux) ad Achillem permovendum dixerunt ? Hunc plane locum omnino neceſſarium iis , qui oratores futuri ſunt , ducimus ; nam & Graecae eloquentiae principem Demoſthenem multum ex eo profeciſſe liquet . Cum res ita ſe haberent , ſolertiſſimus Vates novum

vum aliud ſpectaculum exhibet intuendum (*l.* 10.) Diomedem videlicet & Ulyſſem ad ſpeculandum in Troianorum caſtra nocte concubia profectos, miſerumque Dolonem obviam ſibi factum (quod & ipſe ad ſpeculandum in Graecorum aciem advenerat) interimentes. Maxima vero admiratione defigemini, iuvenes, animadvertentes qua animi praeſentia, audacia, ſagacitate par illud Ducum fortiſſimorum hoſtium caſtra penetrarint, Rheſumque Thracum principem, qui nuper Troianis auxiliaturus acceſſerat, dormientem obtruncarint, eiuſque pulcherrimos, ac praeſtantiſſimos equos ad navium ſtationem abegerint. Nam de Rheſo eiuſque equis a Dolone edocti fuerant, qui fruſtra ne ſe interficerent, quod eis omnia revelaret, precabatur. Quamquam haec ab hoſtibus Graeci retulerunt, res tamen eorum in deterius ruere; nam inſtaurato praelio (*l.* 11.) praeſtantiores Duces vulnerati ex acie abire coguntur; eaſque in anguſtias coniecti ſunt Graeci, ut hoſtes alacriores facti deſcenderint ab equis, foſſam tranſierint, murum adorti fuerint, & propugnacula demoliti; Hector vero ſaxo effractis portis naves conſcenderit. (*l.* 12.) Tantam ſuorum aerumnam Patroclus miſeratus, conſilio Neſtoris orat Achillem, intima ſibi familiaritate coniunctiſſimum, ſuam ut ei armaturam permittat, qua indutus egrediatur ad pugnam, ſi forte eius aſpectu hoſtes ab inferenda clade deterreantur, preſſorumque Graecorum labor tantiſper ſublevetur. Neptunus quoque victis Graecis

cis ſuccurrere meditatur, amboſque Aiaces Telamonium, & Locrenſem (qui idem eſt, atque Aiax Oilei) ad repellendos hoſtes incitat. (*l.* 13.) Sed ut Graeci reſpirarent, opus erat, ut fucus Iovi in Ida vigilanti fieret. Iuno igitur conſuta fraude cingulum, ſive ceſtum Veneris accipit, (*l.* 14.) quo ad Iovem profecta amorem illi, ſomnumque conciliat; adeo ut dormiente Iove Neptunus valuerit Graecis opem audacter ferre. Quaenam rerum pulcra ac mira varietas, auditores! quam vehementer lectorem oblectat, capit, detinet! Quod ſi concionum, ac ſimilitudinum aptiſſimarum, omnigenorumque artis floſculorum, colorumque, quibus graphice omnia depingit, ac ſub oculos ponit, infinitam prope vim poſſem vobis referre, quanto eius amore ac deſiderio incenderemini? At ſi vel ſumma horum capita non dicam explicando, ſed leviſſime delibando colligere tam brevibus ſpatiis contendam, idem plane faciam, ac ſi nuce mare velim concludere. Age vero cetera perſequamur. Iupiter experrectus, Troianoſque a Graecis repulſos videns Iunoni iraſcitur, quae illum deluſerat. (*l.* 15.) Irimque confeſtim ad Neptunum mittit, ut a pugna ſecedat; Apollinem autem ad Hectorem, ut ei animum addat; quare aſſumpta aegide anteiens Hectorem, in fugam verſos ad naves uſque compellit. Quamquam vero de Diis differens ſomnum Iovis, qui abſurdus videtur, explanabo; hic tamen non omittam, quin obiter adnotem Homerum eo loco docuiſſe, quod

omne

omne adverſus ſupremum Numen ſuſceptum conſilium irritum cadit; etſi enim aliquando dormire videatur, & multa contra ea, quae vult, permittere, ſtatim tamen expergiſcitur, & adverſa conſilia difflat. Verum Achilles Patrocli tandem precibus obſecundavit, illique ſua permittit arma, cum quibus ad pugnam profectus. (*l.* 16.) Mirmidonibus ſecum eductis principio Troianos fugavit, ſed mox ab Euphorbo vulneratum Hector interficit, & Achillis arma, quibus hoſtem ſpoliaverat, ipſemet induit. Saevum de Patrocli cadavere tunc exarſit certamen, hinc atque illinc ad ſe illud rapere utriſque conantibus. (*l.* 17.) Tandem vicerunt Graeci, ablatumque hoſtibus detulerunt ad naves, miſſo ad Achillem nuncio, qui de eius nece certiorem faceret. Ille vero tam acerbe amici obitum tulit, ut aegrimonia paene contabuerit. Maximam lacrymarum vim effundentem ſolatur Thetis, magnaſque gerentem in Hectorem iras, qui dimidium animae illius extinxerat, ultioniſque cupidine exardentem tamdiu abſtinere iubet a pugna, quamdiu nova ſibi afferret a Vulcano arma. (*l.* 18.) Nihilominus Iunonis iuſſu procedens inermis ad foſſam apparet hoſtibus. Mirum plane dictu, & ceterorum quorumvis longe maximum Achillis praeconium! Hoſtes vident, pavent, fugiunt, adeo ut ipſe unus nullis armis ſolo ſui aſpectu rem Graecam reſtituerit. Quid igitur miremini magnum illum Alexandrum aemulatione laudis, cuius erat avidiſſimus

mus , ad Achillis tumulum in Sigaeo fleviſſe, ac dixiſſe : *O felix adoleſcens , qui virtutis tuae praeconem Homerum inveneris !* Quae plurima Vates narrat exſculpta eſſe a Vulcano in clypeo *tota mundi imagine caelato* (ut Ovidii verbis utar) fidem omnem tranſcendere aliquibus viſa ſunt, nec ſine magna confuſione capi uno clypeo poſſe. Sed inclytus Boivinius facile crimen hoc reiecit, aere ſiquidem figuram caelatam dedit, cuius ectypum apud me ſervo, in qua concinne, ac perſpicue diſtincta ea omnia exhibentur, quae deſcribit Homerus. Allatis a matre armis, quae una nocte confecit Vulcanus, mirum in modum recreatur Achilles (*l. 19.*) iiſque indutus ad bellum egreditur. Iam enim antiquam in gratiam cum Agamemnone redierat, & munera placamenta irae pro illata ſibi iniuria admiſerat. Hac gloria & honore florentem magis magiſque exornat Vates, dum Iovem Diis permittentem inducit, ut eo pugnante ad bellum deſcendant, Graecis alii, alii Troianis auxiliaturi. (*l. 20.*) Quomodo autem indicare vobis valeam, quot quantaſque caedes edentem Homerus deſcribat Achillem, & tamquam belli fulmen terribile, teterrimumque omnia evertentem? Profecto Aeneam quoque ſibi obſiſtentem occidiſſet, niſi Neptunus tectum nebula ſervaſſet. Hector ipſe poſtquam adverſus illum aliquantum pugnavit, non amplius virtuti eius adverſari valens terga vertit, quem nihilominus fugientem eſſet aſſecutus, niſi ex eius manibus eri-

eripuiſſet Apollo. Ceteros omnes praecipiti ruentes fuga ad urbem uſque inſequendo urget, mactatque innumeros. Sed Scamander Troiae fluvius (*l.* 21.) immenſo auctu in campum refuſus, furentem Achillem repellere nititur. Cum fluvio ſtrenue luctantem invictum Ducem facit Vates; in quo ſane felix, feſtivumque eius ingenium maxime elucet, dum tam novam, tam inſolitam, tam difficilem ad deſcribendum, & ab aliis quibuſcumque diverſam pugnam inſtituit. Ne vero amnis magis magiſque invaleſcentis alluvione laborans Achilles obrueretur, accurrit Vulcanus amnem incendens. Qui ſenſus in hac Homerica fabula lateat, alio loco dicemus. E flumine ſervatum Achillem impedit Apollo, ne fugientes Troianos inſectari pergat; nam Agenori aſſimilatus huc atque illuc fugitans decipit, donec Troiani ad civitatem ſe recipiant. Occluſis portis omnes ibi deliteſcentes trepidantium inſtar ovium, quas famelicus adoriri ac devorare cupiat leo, ſe tuentur. Unus Hector, quem pudebat fracto abiectoque animo virum haberi, extra urbem terribilem hoſtem expectavit (*l.* 22.) quanto magis occultare ac abdere pavorem nitebatur, tanto manifeſtius pavidus; appropinquantem enim Achillem non ſuſtinens, ſe in pedes dedit, mox reſtitit, & ab Achille interemptus eſt. Quam acerbo tunc dolore triſte ac funeſtum ſpectaculum miſeros Troianos affecerit, non facile dixerim. Videbant ſiquidem nobiliſſimum Ducem ſuum currui ab Achille

perforato talo alligatum ad naves per campum indigniſſime raptari. Pyrae & exequiarum deſcriptio, quibus deinde extinctum ſocium magnificentiſſime honeſtavit Achilles (*l.* 23.), antiquae eruditionis habet plurimum, adeo ut ad funereos heroicorum temporum cognoſcendos ritus maxime faciat. Varia quoque in eius honorem celebrata ſunt certamina, quae ad Anchiſae tumulum elegantiſſime in quinto Aeneidos libro imitatus eſt Maro. Quemadmodum autem Homerus & Virgilius inclytos viros pro reportanda victoria inter ſe in illis certaminibus committunt; ſic doctiſſima Daceria utriuſque poëtae Graeci, & Latini in eorum deſcriptione concinnanda quaſi contentionem expendit, & ubi ſubtiliter, uter utri praeſtiterit, inveſtigavit; victoriam Homero adiudicat, quod omnia longe melius exequutus fuerit. Verum ego facile dederim etiam Virgilium certamina deſcribentem, omne tuliſſe punctum, neque in eius deſcriptionis laude Homero ceſſiſſe; quid tum? nonne nihilominus ſupra Virgilium Homerus aſſurget, primaſque promerebitur? Quis enim archetypae imaginis artificem non longe cenſeat praeferendum ei, qui quantalibet induſtria egregie, atque accuratiſſime illam expinxerit? Sed iam ad extremam poëmatis partem devenimus, adoleſcentes (*l.* 24.) in qua Thetidem ad Achillem ablegat Iupiter, ne amplius in Hectoris corpus deſaeviat, ſed patri ſepeliendum reddat; Iridem vero ad Priamum; ut redemptionis pretium Achilli perſol-

ſolvens, cadaver filii ab eo recipiat. Hic igitur Mercurio comite, ac duce, qui Graecos cuſtodes conſopivit, ad Achillem tuto pervadit; ad cuius genua provolutus, & lacrymarum imbrem effundens, filii corpus enixis precibus poſtulat. Acceptum ad urbem refert, & nobili exequiarum epulique honore proſequutus, tumulo condit. Atque hic Homeri labor conquieſcit, divinae Iliadis opere expleto, quam veluti grande humani ingenii miraculum omnium ſeculorum homines, ipſaeque barbarae nationes ad haec tempora unanimi conſenſione ſuſpexerunt. Quemadmodum autem qui nobiliſſimarum maximi cuiuſpiam Regis Aedium extimam tantummodo ſpeciem intueatur, neque ad ea, quae intus latent demiranda ſe conferat, excelſas porticus, auguſta ac prope innumera cubicula, laquearia ebore, atque auro internitentia, parietes argenteo caelamine contectos, pinacothecas, ac dactyliothecas raritate & copia praeſtantiſſimas, gemmas omnigenas, ſplendidiſſimam ſupellectilem, omnem elegantiam, omnem opulentiam, non poterit quantum illarum Aedium pretium ſit exiſtimare; ita credite, adoleſcentes, non poſſe vos animo reputare, qualis quantuſque Homerus ſit in hoc poëtico aedificio, cuius vobis faciem hodierno ſermone praemonſtravi, niſi intro admitti ſedulo, iugique ſtudio iam conemini. Tunc ſane licebit vobis incredibili voluptate perfuſis, ſummaque admiratione defixis, quantas univerſae eruditionis opes, quales pulcritudines contineat, quam felici in-

genio omnia ſint excogitata, quam miro ordine omnia diſpoſita; quam propriis, aptiſque ornamentis inſtructa, pernoſcere.

EMENDANDA ET ADDENDA.

Ubi relegerem hactenus editas Diſſertationes ad concinnandum Indicem in fine tertii Voluminis ponendum, nonnulla offendi menda, quae typis exciderunt, quamquam diligentia tum duorum doctorum Cenſorum, quos in Praefatione laudavi, tum mea non defuerit. Ad hunc igitur modum caſtigantor.

Pag. 9.	*lin.* 9.	ad futuram	adfuturam
33.	2.	videtur	videatur
50.	9.	nſignitum	inſignitum
78.	24.	animantia ſimul, atque homines	animantia, atque homines ſimul
121.	1.	illum ſtomachantur, & ludibrio	ſtomachantur, & illum ludibrio
123.	21.	evelli	avelli
180.	29.	panis libra, quingenties	panis libras quingenties.

In prioribus decem diſputationibus occurrit atque *frequenter uſurpatum ante conſonantem. Melius* *for-*

fortaſſe ſcripſerim in multis locis ac , *vel* &. *Equidem novi praecellentiſſimos ſcriptores , ipſumque Ciceronem tum alibi , tum maxime in libris* de fin. bon. & mal. *parvae huius obſervationis non valde fuiſſe ſolicitos , nec raro ſcripſiſſe* atque *ſequente conſonante . Nibilominus nonnulli emunctae naris viri ex frequentiore uſu notarunt rectius , atque elegantius hanc particulam poni ante vocalem .*

Iterum , iterumque *aliquoties ſcripſi ; melius ſcripſiſſem* iterum , ac ſaepius , *quod alibi uſurpavi .*

Obſervarunt etiam Latinitatis elegantioris Profeſſores itaque *priore loco , non ſecundo poni . Siquando igitur imprudens aliter feci (quod etiam ſcriptores non contemnendos ſaepe feciſſe liquet) particulam illam ab altera ſede tranſlatam velim in primam .*

Abſque *ſemel uſurpaſſe aiunt Tullium . Ubi igitur* abſque piaculo , abſque ullo lepore *quandoque ſcripſi (quod tamen raro feci) mihi excidiſſe fateor pro* ſine .

In XVI. *Diſput.* de armis aereis , *poſtquam pag.* 168. *diſſerui* de cupro , *opportunum fuiſſet etiam* de aere Corinthio , *quod confuſum auro , argentoque miſcebatur , teſtimonium adiicere Plinii l.* 34. *c.* 2. *in quo pariter de Deliaco , & Aeginetico mentionem facit .*

MO

MONITUM.

Quandoquidem has Homericas Diſſertationes in gratiam maxime Graecorum Diſcipulorum meorum compoſui, convenire cenſui, ſi de Graeco ſtudio, quod promovere qua maxima potui cura ſum ſemper enixus, deque iis, qui me duce ſunt in illo cum laude verſati, pauca promerem ex meis Commentariis, quos ad Ampliſſimum Virum Gabrielem Riccardium dedi. Quae plane narratio tum ipſis ſtudioſis ornamento erit, tum gloriam urbis noſtrae amplificabit; palam enim hinc fiet Graecum ſtudium etiam modo in ea non deeſſe, in qua olim Graecae literae revixerunt. Sed quia bifariam illos Commentarios lucubravi, duo inde afferam ἀποσπάσματα, unum ex priore parte, alterum e ſecunda. Cum vero iiſdem fere verbis, quibus in Commentariis ſunt expoſita, haec teſtimonia adducere voluerim, miretur nemo, ſi eorum decora, & munera, qui in prima recenſione ſunt deſcripti, addita ſint in annotationibus, nondum enim ea fuerant conſecuti. Quod ſi aliquos forte praetermiſerim, quos nominare debuiſſem, ignoſci ab eis mihi velim; id enim unum in cauſſa fuit, cur non nominaverim, quod memoriae, dum ſcriberem, non occurrerunt.

PRI-

PRIMUM ΑΠΟΣΠΑΣΜΑ EX PRIORE PARTE SCRIPTA ANNO MDCCXXX.

——— Sed redeo ad diſcipulos, qui ad Graecam linguam addiſcendam me vel uſi ſunt, vel utuntur magiſtro. Teſtor audacter omnes, qua diligentia eos doceam, qua benevolentia complectar, qua nulla in re deſim, ut Graecas literas non delibare tantum, ſed capaciorum poculorum hauſtum Graeco nectare aeſtuantium, ſi velint, poſſint non expalleſcere. Semper autem acceſſu facilem iis me praebeo, vultu ſereno excipio, eamdemque crambem ſine odio, ac moleſtia ſaepius repeto.

Ex iis, qui ſedulo Graecis literis ad hanc diem, me ſibi facem praeferente, ſtuduerunt, recenſendi mihi ſunt nobiliſſimus iuvenis, acerrimo ingenio, iudicioque praeditus & ſolida, ac multiplici doctrina, eruditiſſimus Ioſephus Bondelmontius; Eques Ioannes Guidius pari nobilitate, & omnium elegantiarum arbiter; claro item genere, & varietate literarum inſignis Leonardus Delriccius (1), ſive potius Crinitus, quemadmodum doctiſſimus ille Petrus, qui ex eius progenie extitit, olim ſe nuncupavit; Thomas Coſius tum familiae ſplendore, qua Piſis prodiit, tum ſelecta

(1) *Deinde Florentino Senatui aſcriptus, & militari Quaeſtura ornatus.*

ſelecta eruditione ſpectatiſſimus (1); Antonius Gaſpar Franchius (2), Ferdinandus Petrinius (3), Antoninus Caietanus Catenius (4), Nicolaus de Georgiis (5), Gaſpar Brunius (6), Frigdianus Fridianius, Andreas Biaginius, Petrus Antonius Montecchius, Marcus Baldaccius, & Matthaeus Mannuccius (7), iuvenes optima indole, utriuſque ſermonis ſcientiam avide ſibi comparantes. His annumerandi Raphaël Guerrazius in Graecarum literarum curriculo longe progreſſus (8), & Thomas eius frater, Sacerdos moribus integerrimis (9). Nec duos praeterire poſſum magnae expectationis adoleſcentes, & Graeco ſermone apprime eruditos Alexandrum Morandium, & Bernardinum Parentium, quos in ipſo aetatis flore de medio ſublatos cum mihi, tum bonis literis invidere mors viſa eſt. Doctiſſimus quoque Alexander Politus e Clericis Regularibus Scholarum Piarum (10), quo tem-

(1) *Deinde Ep. Arret. mox Archiep. Piſ. Vicarius (ut dicunt) ad cauſſas.*

(2) *Deinde S. Th. D. & poſt alias publicas docendi provincias in Gymnaſio Cler. S. Laur. humaniorum Literarum Praeceptor.*

(3) *Deinde S. Th. D. & in Flor. Seminario Theol. Moral. P. P.*

(4) *Deinde S. Th. D. & Remolenſis Plebanus.*

(5) *Deinde Archiepiſcopi Florentini ab epiſtolis.*

(6) *Deinde S. Columbani Parochus.*

(7) *Deinde S. Th. D. & in oppido S. Caſſiani Latini Gymnaſii publicus Praeceptor.*

(8) *Deinde I. U. C.*

(9) *Deinde in Urbe Miniatenſi Latini Gymnaſii publ. Praec.*

(10) *Deinde in Piſano Lyceo humaniorum Literarum P. P. & Euſtathiana interpretatione celeberrimus.*

tempore in urbe Miniatenſi Rhetoris munere defungens. Autumnalibus feriis Florentiam acceſſeram, bimeſtri ſtudio me audiit. Cum enim ad immortalem nominis famam Graecas literas ſibi deeſſe animadverteret; eaſque ſibi licet aetate grandior vellet adſciſcere, me rogavit, ut ei operam meam impenderem, dum Graeca rudimenta arriperet; quod ſane lubentiſſimo animo praeſtiti, ut aliquam ei gratiam referrem, quod me philoſophicis, ac theologicis doctrinis imbuerat. Illis autem duobus menſibus tantum progreſſionis in eo ſtudio illum feciſſe teſtificor, quantum vix alius quiſpiam duobus annis fecerit. Dein vero ad provinciam meam me reverſo, proprio marte in penitiſſimos Graecae linguae receſſus penetravit, ut proinde ſui ipſius doctor, ac diſcipulus, uno verbo *αὐτοδίδακτος* iure optimo dici mereatur. Addo Caietanum Paſchalium Philoſophiae, Medicinae, & variae literaturae ſtudio praeclarum (1). Nam & ipſe aliquot menſes Graecis literis apud me operam navavit. Sed quamdiu te non compellabo, ſuaviſſime Gabriel, cuius voluntati obſequens hos Commentarios ſcribendos ſuſcepi? Quamdiu alios duos ſpectatiſſimos iuvenes ſilebo Franciſcum Ginorium, & Alphonſum Alamannium candidiſſimos amicos tuos, veraeque nobilitatis, probitatis, atque humanitatis gemina exemplaria;

 qui-

(1) *Deinde in Athen. Piſ. Medicinae P. P., mox Florentiam accerſitum ad Philoſoph. Moral. publice profitendam.*

quibus ipſe accedis , & numerum imples (1) ? Neque hoc ex amore iudicium , ſed ex iudicio amor . Oh utinam tres vos ad Graecae ſapientiae culmen evehere mihi contingat ! Teſtes vos luculentiſſimos doctrinae meae , quantulacumque ſit , literariae Reipublicae dediſſe ſatis habebo . Veſtra eruditione , veſtro profectu me conſolabor , ac beatum praedicabo ; denique per vos ad ingentem gloriam elatus

Sublimi feriam ſidera vertice .

AL-

(1) *Munera ad quae deinde Riccardius , Ginorius , & Alamannius evecti ſunt , habentur in fine alterius partis horum Commentariorum .*

Digitized by Google

ALTERUM ΑΠΟΣΠΑΣΜΑ E SECUNDA PARTE SCRIPTA ANNO MDCCXXXIX. IN QUO NARRATUR ETIAM DE STUDIO MUSICAE, ET ANTIQUITATIS, QUIBUS TAMQUAM DULCIBUS, VALIDISQUE VINCULIS NONNULLOS IUVENES IN GRAECO STUDIO FIRMITER DETINERI EXPERTUS SUM.

——— Inter eos, qui hoc quod interceſſit tempore; videlicet ex quo priorem noſtrorum Commentariorum partem ad te ſcripſimus, optime Gabriel, Graecis literis me Praeceptore animum adiunxerunt, primus mihi nominandus occurrit Franciſcus Algarottus egregius iuvenis Venetus non minus auro, quam ingenio dives. Hic complures menſes (quamdiu videlicet Florentiae moratus eſt, nam Ulyſſis exemplo longa peregrinatione Europam luſtrare inſtituerat *Multorum mores hominum viſurus & Urbes*) me ſibi Demoſthenis Orationes ediſſerentem audiit diligentiſſime. Philoſophus, Mathematicus, Orator, & Poëta inſignis, ut eius carmina typis edita teſtantur, linguarum item Gallicae, Anglicaeque, praeter Latinam apprime peritus, Graecam etiam linguam putavit ſibi omnino neceſſariam. Ioannes Baptiſta Caroldus item Venetus, qui ſub doctiſſimo Lazzarinio Patavii prima iecerat Graeci ſtudii fundamenta, Florentiam profectus, ut in celeberrimo Noſocomio Sanctae Mariae Novae ad Medicinam faciendam exerceretur, in meorum auditorum numero recenſeri voluit, mentis acie, ac

diſcendi ardore laudatiſſimus iuvenis. Duos etiam Theatinos iuvenes in S. Caietani Coenobio Graece erudiendos ſuſcepi Scarellam Brixianum, Vezzoſium Arretinum. Hi tanta animi contentione, tamque celeri curriculo Graecas literas, ſine quibus nihil ſe fore crediderunt, conſectati ſunt, ut non didicerint modo, ſed hauſerint. *Duo fulmina belli Scipiadas* dixit Maro; duo fulmina Graeci ſtudii optimo iure dixerim ego par illud iuvenum ſolertiſſimorum. Ad alia ſui Ordinis Collegia, ut docendi munus obeant, amandatos, magnam ſibi nominis famam, ſelectamque & uberem diſcipulis eruditionem facile conciliaturos minime dubitaverim. E reliquis, qui Graece erudiendi ad me per hoſce annos acceſſerunt, recenſitos volo Philippum Nerium nobilem adoleſcentem doctiſſimi Patris veſtigiis ſtudioſe inſiſtentem; Ioſephum Paſchalium nobiliſſimorum maiorum commendatione ingenii, ac ſtudii laude ornatiſſimum; Ioannem Baptiſtam Belluccium, Ioſephum Fortinium, Thomam Rogaium, Nicolaum Sagreſtanium, Petrum Paulum Venezianum, Coſmam Scarperiam Sacros Collegii Eugeniani iuvenes, elegantioris literaturae, ac probitatis valde ſtudioſos; Michaëlem Angelum Ceccherellium Antonii Bernardi Collegae mei amicitia mihi coniunctiſſimi, virique legum ſcientia, ac docendi ſedulitate inclyti filium, ad eruditionis gloriam alacriter properantem, nuper Iuriſconſulti lauream Piſis conſecutum; Laurentium Gattinium Monachum Benedectinum, qui una cum

cum quatuor aliis ſui ordinis iuvenibus duos circiter annos a me edoctus flagrantiſſimo deſiderio Graecas literas addiſcendi mirum in modum exardere viſus eſt; Equitem Franciſcum Seminettum optimum, ac ſtudioſiſſimum adoleſcentem, qui ſuos aequales exemplo ſuo docet poſſe ſimul Latinum, Graecumque ſtudium cum Philoſophiae, & Mathematicae ſtudio optime conciliari; Dominicum Brogianium Medicinam in hac urbe facientem adeo in Graecae linguae cognitione provectum, ut nonnulla epigrammata ſcripſerit non contemnenda; Bartholomaeum Bianuccium, ferventi ingenio, & ad varia multa condiſcenda verſatili, qui hoc ipſo anno Theologiae laurea in Florentina Univerſitate inſignitus eſt; Philippum Feronium, & Ferdinandum Foſſium, ut Latinarum apud Ieſuitas, ita Graecarum apud me valde ſtudioſos; Coſmam Meium, qui theſes ex univerſa Philoſophia, Mathematica, & Hiſtoria deſumptas tribus coniunctis diebus in templo Scholarum Piarum ſtrenuiſſime propugnavit; Ioſephum Clarium ingenii acumine, eximiaque memoria praeditum, quem paene adoleſcentem ſacrae Doctrinae Magiſtrum Piſis renunciatum, dum in Florentinum Theologorum Collegium nuper cooptaretur, ſolennis laudationis officioſum proſecutus; Franciſcum Colleſchium, qui publica Rhetoris provincia, quam in citro Tiberis gerebat, dimiſſa Florentiam venit eo maxime conſilio, ut Graecis literis imbueretur; & Iacobum Rendellium Legum, linguarum Gallicae, Hiſpanicaeque,

&

& ſcribendarum epiſtolarum ſcientia inſigniter doctum, quo in munere ut Senatori Carolo Ginorio nobiliſſimo Viro, & ad agendum dexterrimo, Franciſco III. Magno Duci a ſanctioribus conſiliis, novoque titulo, ac ditione Marchionis Riparbellae, Cecinae, &c. aucto, meique amantiſſimo deſerviret, meum fuit. Nam ſibi a me enixe poſtulanti, ut unum aliquem iudicio meo probatum reperirem, hunc iuvenem tradidi ingenio, eruditione, probitate, fide commendatum. Quem, quod expectationi meae, votiſque hominis tum dignitate, tum perſpicacia ſummi egregie reſponderit, & multum amo, & hoc laudis teſtimonio dignum cenſeo. Inter praeclarae vitae monumenta ab Iſocrate relicta teſtatur Pauſanias in Atticis, primum fuiſſe perſeverantiae, quod cum octo & nonaginta annos vixiſſet, numquam diſcipulos habere deſiit. Si eloquentiam, doctrinamque huius nobiliſſimi Oratoris aſſequi nequeo, at illud certe aemulabor, ut quamdiu vixero, docendi laborem minime detrectem. Quinimmo ut promptiores accedant iuvenes ultro provoco, atque illicio, & admotis quaſi ſtimulis ſaepe compello. Nam in Homericis diſputationibus bonam occaſionem aut nactus, aut expiſcatus, frequentes interſero ad Graecum ſtudium cohortationes. Cumque iam argumenta fere omnia illud ſuadentia occupaverim, novi tamen aliquid in dies comminiſcor, quod adoleſcentium animos acrius percellat. Carneadem miſſum Romam ab Athenienſibus Romani dicti-

ta-

tabant non perſuadere, ſed cogere. Idem nonnulli de me ſimiliter praedicant. Veruntamen non mihi blandior, perinde quaſi cum tanto viro eloquentia exaequari merear. Quid vero? Parum intereſt, utrum eloquentia, an dicendi aſſiduitate, vel etiam importunitate Graecarum literarum amorem a ſtudioſis adoleſcentibus extorqueam. Fateor plures inflammato ſtudio ingredi, qui mox refrigerato impetu, ac laboris pertaeſi reſtaceſcunt, & ab incoepto curſu reſiliunt; nihilominus alii generoſiores conſtanter inſiſtunt, alacriter pergunt, & ad metam forti gradu contendunt, faciuntque ut adhuc vita Graecis literis ſervato quaſi ſemine in hac urbe propagetur, in qua Mediceorum beneficio ad lucem olim e tumulo ſunt revocatae. Ad Politianum ſiquidem quaſi examen ſe effudit diſcipulorum, quod Laurentius Graecis literis impenſiſſime faveret, adeo ut ex eius ſchola tamquam ex equo Troiano permulti prodierint inſignes viri, qui Graecae linguae intermortuae vitam afflarunt. Quamquam vero haec ita ſe habeant, non tamen hanc curam Graecis literis perennitatem afferendi ita mihi vindico, ut alios eſſe negem viros inclytos in quibus eae vivant, vigeantque, magnificeque gloriam ſuam exerant, etiamſi illi a me non acceperint, ſed aliunde ſibi comparaverint. Quibus gratias ago longe maximas, quod una mecum connituntur, ut Florentina iuventus eas amet, in pretio habeat, doctrinaeque putet neceſſarias. Eorum ſiquidem praeclariſſimo exem-

plo

plo non minus quam cohortationibus meis urgeri adoleſcentes novi, ut ſtudio, ac labore ſibi conquirendam ſtatuant Graeci ſermonis ſcientiam. Quid vero de Franciſco (rogas) nepote tuo, quem parente extincto tua intereſt alere atque educare? annon & ipſe Graece didicit? De eo adhuc puerulo reminiſcor me tibi ſcripſiſſe, optime Gabriel, quod bonam mihi ſpem eius indoles tunc afferebat fore ut in literis non parum progrederetur, reipublicae neque inglorius, neque inutilis. Verum naturae ductum deinde ſecutus, magis ad muſicae ſtudium deflexi, quam ad literas. Quid enim ſecus facerem, cum paulo poſt animadvertiſſem, planeque ſenſiſſem eius ingenium minus ſtrenue in literis progredi, quam ſperaveram optaveramque, ac mirum in modum ad rem muſicam propendere? Non commiſi tamen, ut literarum eſſet omnino expers, curavique ut linguam Latinam apud ſcriptores intelligeret, Graecamque delibaret, & multa ex varia eruditione tum ſacra, tum profana cognoſceret. Nec facti poenitet, aut infectum velim; adeo enim in hoc ſtudio provectus eſt genis adhuc nulla lanugine conſperſis, ut, cum olim fruticabunt, celſiſſimum artis culmen facile ſit conſcenſurus, in eaque perfectum ſe praeſtiturus, dummodo ad laborem bona valetudo ſufficiat, aut cum ſui erit iuris, cuſtode remoto, laboris non pigeat. Nam praeterquamquod parvam teſtudinem concinne lepideque tractat, fides etiam tum maioris chelys, tum clavicymbali

bali (ſambucae dixiſſent veteres) non inſcite pulſare novit. Nec ad ſolos ſcriptos numeros fidibus valet ludere, ſed ſubitas etiam, neque iniucundas ipſemet ſaepe comminiſcitur modulationes. Canendi item peritus vel difficilia & ſalebioſa ad tonorum & numerorum leges enucleat expeditiſſime. Praecepta vero concentus ſcribendi addiſcere, in iiſque ſe exercere nuper aggreſſus eſt, Ferocio magiſtro viro optimo, artiſque praeſtantia longe inclyto, ut rite ſuo tempore valeat pneumatici Organi pulſatione divino Numini in Chriſtianis Templis, dum ſacra peraguntur officia, inſervire. Hic enim ſcopus, quo collimare eius ſtudium & laborem volo, ut nempe maſculam & ſacram Muſicen ad Dei laudes concelebrandas, proximoſque cum virtute iuvandos apprime calleat, non in vana haereat, molli, fracta, damnoſa, impudica, hiſtrionali; quemadmodum par illud nobiliſſimum ſanctiſſimorum adoleſcentium Baſilius & Gregorius, cum Athenis literis operam darent, quidquid in muſica antiqui, & concinni eſt, addiſcere voluerunt, quidquid ad pravam voluptatem impellit, ad theatra relegarunt. Quam ab eo rem tanto convenientius exigere videor, quod militiae Eccleſiaſticae nomen dedit. Quid vero de me dices, mi ſuaviſſime Gabriel, qui dum muſicis inſtitutionibus erudiendum nepotem volo, vix ſentiens eam mihi ſcientiam in hac arte comparavi, ut nec temere, nec indecore profiteri fortaſſe valeam, ſi iubeat? Ne vero putes me in Muſicae

 ſtudio

ſtudio quaſi a literis abſono ineptire, accipe qua impulſus neceſſitate ad illud acceſſerim, & quomodo aliquibus meorum diſcipulorum conferat, ut Graecas literas alacrius conſectentur. Cum valde cuperem, ut nepos celeriter proveheretur, putavi non ſufficere magiſtrorum curam in illo erudiendo impendi, niſi & mea longe ſolicitior accederet. Quamobrem ubi pulſandarum fidium arte imbuendum magiſtro tradidi, ſtructuram volui utriuſque teſtudinis minoris & maioris ipſemet noſſe, quomodo e magadio ad verticilla nervi aptarentur, quibus tonorum intervallis temperarentur, qualia in temone phthongorum diſcrimina, ſive diaſtemata diſtinguerentur, quibus regulis peculiares notae Muſicae concentuum pro huiuſmodi inſtrumentis concinnatorum accipiendae eſſent, & in uſum redigendae, quae ars, quae ratio canendi fidibus rite eleganterque, & permulta alia ſubtiliora, quae non ſcribo; adeo ut etſi ea inſtrumenta pulſandi uſu careo, cognitione tamen non careo; meamque ſymbolam afferre queam nepoti, ut in eorum recta, ſcitaque pulſatione laudem mereatur. Non mentiar, ſi cum Flacco dixero,

——— fungor vice cotis, acutum
Reddere quae ferrum valet exors ipſa ſecandi.

Cum autem nervorum cantus ferme poſtulet alterius inſtrumenti concentum, quo roboretur, fulciatur, impleatur, repetii quae adoleſcens

quon-

quondam ad pulſandum clavicymbalum didiceram, & exercitatione auxi. Quo factum eſt, ut in concentibus efficiendis vel difficilioribus, quos a variis auctoribus compoſitos magno numero collegimus, ſociam meam operam ei praebeam, & diſcordi phthongorum concordia mutuo colludemur, nervos ille pulſans, ego clavicymbalum. Praeterea cum ad vocalis etiam cantus exercitationem nonnullas comparaſſem cantiunculas pueriles & ludicras binis vocibus concinendas, poſt prandium, aut aliis ad relaxandum animum permiſſis horis, una cum ipſo frequenter eas canere conſuevi. Sed cum deinde conſideraſſem iuvenum, qui Graecis literis a me erudiuntur, nonnullos ex Eugeniano Collegio non eſſe muſices imperitos, conſultum duxi, ſi ter in hebdomada poſt Graecam exercitationem aliis abeuntibus, remanerent ipſi apud me, & canendo una cum nepote, mecumque moderatoris locum tenente exercerentur, & hac veluti illecebra ad frequentandas libentius Graecas inſtitutiones traherentur. Quare non ſolum binis, ſed etiam ternis, quaedam autem quaternis vocibus (duabus, aut tribus mediis, & ultima gravi, quod nemo illorum, quibus canenda ſunt, acuta eſt voce) curavi mihi componi cantica lepida illa quidem, ac ferme ridicula, ſed lepori, ac riſui aliquod identidem utile monitum admixtum praeferentia (nam *ridentem dicere verum quid vetat?*) ut cantus & verborum lenocinio irretiantur adoleſcentes, ſimulque bona

combibant vitae documenta. Haec autem cura eo paulatim devenit, ut alia atque alia in dies acquirendo, complures libros talium canticorum congeſſerim. Qui autem audiunt (nam ſaepe amicorum aliqui audire cupierunt) & voluptate afficiuntur, & meum probant conſilium. Ex iis autem, qui ea mihi compoſuerint, duos ſaltem recenſebo. Primus eſt Franciſcus Ferocius, qui mira facilitate, promptitudine, copia centum circiter & quinquaginta ad hunc diem effudit magis, quam lucubravit. Cuius viri in re Muſica praeſtantiam ſingularem, melius ſilentio admirer, quam verbis exornem. Alter eſt immortalis Franciſcus Veracinius. Hic vero temperare mihi nequeo, quin teſtificer, quanti Veracinium faciam, & quam vehementer diligam. Profecto modulationes, quas ſcribit cantu oris aut nervorum exprimendas non ſatis eſt mihi appellare longe optimas, niſi medullam ſuccumque artis dixero, tanto lepore, venuſtate, gratia, iucunditate ac proprietate inſtructas, ut non humanum, ſed prope divinum opus & habendae ſint, & ab omnibus habeantur. Quid vero cum digitis plectroque fides parvae lyrae, aut mavis dicere pandurii tetrachordi percurrit? Nonne tibi videatur ad beatorum illico ſedes commigraſſe caeleſtiſſima voluptate perfuſis auribus, animoque? Habeat ſuos Linos, Orpheas, Amphionas priſca aetas; ſuum habeant Apollinem Dii; inſtar omnium nobis eſt, multoque praeſtantior unus Veracinius. Europa ferme tota, quam itine-

neribus luſtravit ſuis, immenſis eius laudibus unanimi ubique conſenſione perſonat, ſeque putat Anglia beatiſſimam, quod tanti viri ſingulari ac paene incredibili virtute ingenti a Londinenſibus conducti pretio, ſibi frui contigerit. Illinc ad patriam tantiſper reverſum, dum aliqua, quae ſe hic urgebant, negotia expediret, gravedine affectum inviſi; nam non eramus invicem ignoti; cumque ille me humaniſſime accepiſſet, meoque quam maxime oblectari colloquio videretur, iterum, ac ſaepius conveni, & me ille, ubi revaluit. Quae dum nobis viciſſim praeſtamus benevolentiae officia, tam arcto ſenſim amicitiae vinculo devincti ſumus, ut acerbe doleam ſuaviſſima eius conſuetudine me orbandum, quod Angliam repetendi ſibi inſtet neceſſitas. Interim vero ille pro ſua in me humanitate, atque amore non ſolum novem cantica, ex iis, quae narrabam, compoſuit, novem Muſarum nominibus elegantiſſimorum Herodoti librorum inſtar nuncupanda, utpote quibus nihil melius, & iucundius, perfectius nihil, ſed aliquoties meum parvum coetum muſicum ſuo nervorum divino cantu recreavit. Hunc autem coetum Academiam Graecorum Philharmonicorum vocandam cenſui; qui ut Veracinio darent pro accepto beneficio aliquam grati animi ſignificationem, carminibus ſinguli Latinis, Etruſcis, Graeciſque eius ſupra omnes excellentiam concelebrarunt. Mihi vero placeo in eo titulo, quem huic meae Academiae tribui; cum enim ex adoleſcen-

leſcentibus illa conſletur Graecarum literarum ſtudioſis, videor mihi veterum Graecorum in eis referre imaginem, qui omnes, teſte Cicerone in prima Tuſculanarum, Muſicen diſcebant, nec qui neſciebat, ſatis excultus doctrina exiſtimabatur. Nec me puto a quoquam iure reprehendi, quaſi in muſicis exercitationibus tempus male conteram, quod poſſet in gravioribus literarum ſtudiis utilius inſumi. Nam (praeterquamquod non male contero, quando nepotem, alioſque adoleſcentes iuvandi conſilio id facio, & graviſſima me tuetur auctoritas Ioannis Baptiſtae Donii ſimul Graecis literis, quas publice ante me olim in hac urbe profitebatur, ſimulque muſica eruditiſſimi, ut eius de Praeſtantia veteris Muſicae, ac lyra Barberina, uberrimi tractatus oſtendunt) cur non mihi liceat poſt multas literarii laboris horas in tam divinam artem δευτέρας φροντίδας, ſubſecundaria tantum ſtudia conferre, eiuſque exercitationibus nonnihil temporis tribuere; cum praeſertim illud deambulationi, ludo, aliiſque conceſſis remiſſionibus detraham? Itaque cum utile eſſe putaſſem, ut nepoti, antequam ad Ferocium mitterem, rudimenta Symphoniurgiae, ideſt ſcribendarum cum vocum conflictu modulationum ab alio traderentur, a quo pulſandi clavicymbali arte inſtituebatur, ipſe quoque eas regulas audiens, mecumque deinde ſtudioſe recolens, & meditatione concoquens, tantum ſcientiae collegi, ut aliqua binis vocibus cantica rite componere non inſulſa, neque illepida valuerim;

Digitized by Google

luerim ; in quo tamen cum ſemel iterumque me exercuiſſem, mihi. frenos de induſtria inieci, ratus nequaquam mihi licere ulterius progredi, ne forte intemperantius in hoc ſtudium incumbens a ſtudio literarum, quod mihi profitendum eſt, nimis abſtraherer. Neque vero hanc mihi qualemcumque ſcientiam adiunxiſſe literariae eruditioni ſupervacaneum fuit ; ea ſiquidem inſtructus, plane iam valeo quae ſcripſerunt docti viri de re muſica probe intelligere, ac pervadere, illamque maxime quaeſtionem ſubtiliter expendere, utrum veteres confligentibus vocibus canerent, an voce aſſa, in qua plures ſimul nulla diſcrepantia convenirent. De qua re maxima cum voluptate plures legi eruditiſſimas clariſſimi Burretii Galli diſputationes, in quibus quidquid ad hanc quaeſtionem enodandam attinet, ſapienter pertractat, rationumque momentis hinc atque illinc aequa lance libratis, veriſſime, ut puto, ſtatuit, antiquos caruiſſe ſymphonia, nulloque alio quam octavo vocum intervallo, ſive διὰ πασῶν, uno tamen eodemque perpetuo tenore, cum concinerent, uti conſueſſe, ad eum plane modum, quo exempli gratia in ſacris Chriſtianorum Odaeis Pſalmos una modulantur grandiores natu, ac pueri, hi acuta voce, illi gravi. Memini me legere (id quod voluiſſem Burretium dicere) vocum conflictum in Muſica eſſe inſtitutum primo a Chriſto nato circiter ſeculo, ni fallor ; nam ſcriptor apud quem legi, mihi e memoria effluxit. Sed & quaedam fragmenta

menta Pindari, & Callimachi antiquis notis, quibus canerentur, ſignata, eodem Burretio afferente, & quae eſſent illae notae, antequam Guido Arretinus undecimo ſeculo novas alias multa cum laude comminiſceretur, noſſe mihi fuit periucundum, ſimulque valde utile, ubi Homerum explicans de priſca Muſica, cuius meminit in Paride, atque Achille, diſſerere opus habui. Sed iam pauca alia nonnulla ad meum Graecorum Philharmonicorum coetum ſpectantia exponam, optime Gabriel; ea ſiquidem omnia (quo benevolo animo es erga me, atque mea) enucleatius noſcendi te puto eſſe cupidum. Dixi nos ludicra multa, quae affatim collegi, canere. Sed qui ludicro oblectamur cantu, a ſerio, & gravi utique non abhorremus. Nam pleniſſima volumina mihi ſunt, quae concertantium vocum cantilenas longe plurimas a diverſis auctoribus editas exhibent. Ludicris ergo tamquam illecebroſo delenimento utor, quo ſtudioſi iuvenes capiantur; captis vero alia atque alia plane non ludicra, ſaepe etiam ſacra atque Eccleſiaſtica brevioribus modis ſubiicio. Nepos vero intermedia fidium pulſatione identidem ludit; aut earum conſociationem canticis, quibus neceſſaria eſt, adhibet, qualia v. g. ſunt Stephaniana bicinia in cubiculis concinenda. Quomodo vero tanta mihi praeſto ſit muſicorum librorum ſupellex, dicam. Ante annos fere duodecim adductus mira, atque inſperata vilitate ingentem horum acervum aere pauco emi. Cumque putaſſem me

per-

perperam inſumpſiſſe pecuniam, quod tales libros nulli mihi fore uſui ſperarem, utpote qui muſicae ſtudium ferme deſerviſſem; Dei Optimi Maximi Providentia factum deinde novi, ut illos emerem, quibus & ad alios iuvandos, meque aliquando reficiendum uterer. Nam & mihi ipſi (fatendum eſt enim) muſicas exercitationes non parum prodeſſe ſentio; cum poſt literarias curas, ac defatigationem concentu mirifice recreer, vireſque recipiam. Aut igitur canendi ſtudium mihi labor non eſt, aut ſi labor, mirum eſt, quomodo labor laborem allevet. Quapropter magnopere gaudeo literas, & muſicen tamquam bonum mihi viaticum ad ſenectutem paraſſe, quo iam frui coepi; ſenectutis ſiquidem prope in limine me conſtitutum video, cum duorum & quinquaginta premar annorum pondere. Dicam denique, quo iſtae exercitationes claudantur fine. Ut magis magiſque liqueat Muſarum cantum cum Palladis inſtitutis amice coniurare, ubi a canendo ceſſavimus, unam, duaſve tabulas ex Florentino Muſeo doctiſſimis Antonii Franciſci Gorii obſervationibus illuſtrato, aut alio huiuſmodi volumine ſtudioſo adoleſcentium manipulo oſtendo, & quidquid latet in eis eruditionis evolvo. Non ſatis explicem, quam ſe oblectet & teneat haec ſtudiorum iucunde implexa varietas; adeo ut quoties habendus eſt conventus, non modo libenter accedant, ſed paene convolent, maximaque cum voluptate in triplici ſtudio Graecae linguae, Muſices, & eruditae

antiquitatis exerceantur. Viden, optime Gabriel, quam bene haec ſtudia inter ſe conveniant, & alterum alteri conducat? Non ſolum igitur omnem mihi videor apud aequos iudices effugere reprehenſionem, ſed mereri magis laudem, quod ea in meis diſcipulis utiliter copulaverim.

Nonnullis aliis interiectis, tandem hic Commentariorum exitus.

Addam denique pulcherrimam hiſce Commentariis coronidem ac nobiliſſimam. Committere ſiquidem nequeo, quin ex animo gratuler tibi, Ginorio, atque Alamannio olim diſcipulis meis cariſſimis, quod tria ſacri Ordinis lumina probitate, ac doctrina ſpendidiſſime coruſcatis. Tu enim ſacrum, inclytumque Canonicorum Florentinorum Collegium ornas; Ginorius Faeſulanam Eccleſiam ſenili prudentia iuvenis regit; Alamannius Liburnenſi Eccleſiae Praepoſitus tam bene commiſſi muneris partes implet, ut nulla in re reprehendendum, at in omnibus maxime laudandum aequiſſime ſe praebeat.

Equidem te puto, amice Lector, ex monito, quod praecedere volui, ſatis clare didiciſſe, quod meum fuerit in hac edenda de Graeco ſtudio narratione conſilium. Famam patriae huius florentiſſimae a multorum exterorum criminatione, qui dictitant Graecum ſtudium apud Italos refrixiſſe, in

pri-

primis vindicare mihi propoſui. Quia vero Urbis noſtrae gloriam exaugeri novi, quod in ea praeter auditores meos, complures alii (quod etiam pag. 231. *animadvertebam) Graecas literas excolant, non poſſum facere, quin ex illis ſaltem tres tibi nominem, Antonium Nicolinium ex Marchionibus Pontis Sacci, virum avita nobilitate, acerrimo ingenio, exprompta memoria, plurimiſque literis praeclariſſimum; Ioannem Lamium ſacrae Hiſtoriae in Florentino Lyceo Profeſſorem, omnigenu eruditione praeditum, tot anecdotorum Graecorum editione, atque interpretatione de Graecis literis optime meritum; & Antonium Cocchium regium Cimeliarcham, ac Medicinae laude praecellentem, qui Xenophontis Epheſii Latinam verſionem elegantiſſime adornavit, typiſque Londinenſibus evulgavit. Eos igitur ut in omni doctrina, ita in Graecae linguae cognitione verſatiſſimos tamquam tria tum patriae huius, tum totius literariae Reipublicae ornamenta ab omnibus haberi, ac ſuſpici volo. Quod ſi a multis aliis, qui nominandi ſuperſunt, recenſendis de induſtria ſuperſedeo, ne forte nimius in hac re tibi eſſe videar, non praetermittam, bonam opportunamque occaſionem nactus, ipſos quoque debito laudationis officio proſequi.*

ORATIO I.

HABITA FLORENTIAE ANNO MDCCXXXI.

Eos qui literas Graecas callent, longe ampliorem longeque iucundiorem ſibi ſapientiam comparare, quam qui Graece neſcientes aliunde eam expetere neceſſe habent.

SApientiam rem eſſe maxime arduam, omniumque difficillimam, quam homines aſſequantur, nemo eſt qui non videat, planeque ſentiat, auditores ornatiſſimi. Verum quo plus habet difficultatis, & laboris, eo ſtudioſius ab hominibus diligi, eo impenſius exoptari, eoque maiori in pretio haberi conſpicimus. Quis enim ſapientiam non ſuſpiciat, atque non expetat, quae ex omnibus artibus, & diſciplinis perfecta collectio eſt? Ea ſiquidem utiliſſimis legibus mores format, & regit; quae ſpectant ad ſummum Deum, divinas mentes, animoſque noſtros ſedulo evolvit, omni-

omniaque inquirendo, ac docendo explanat, quae coelo, terris, mari continentur; uno verbo omnigena rerum cognitione mentem ſuaviter paſcit, ac beatiſſime locupletat. Ea & miram oratorum eloquentiam, & ingenioſa poëtarum carmina doctaſque fabulas peperit, quibus non minus utiliter erudimur, quam iucunde delectamur. Sane apud Gentes omnes, ne barbaras quidem excipio, non pauci nullo non tempore extiterunt magni nominis viri, qui ſapientiam pertractarunt, & plena ſapientiae volumina ad nos uſque demiſerunt. Verum alii aliarum gentium ſcriptores vel minus ſolertes, vel minus elegantes in ſapientia conquirenda, poſteriſque tradenda cordatorum hominum iudicio habiti ſunt. Aliis ſiquidem ingenium ad excogitandum acutum, aliis in differendo orationis ſive elegantiam, ſive copiam, ſive nervos vel omnino defuiſſe comperias, vel non adeo cumulate obtigiſſe. Graecis tantummodo ſcriptoribus neque ullam ingenii laudem, neque ullum verborum lumen, robur, nitorem defuiſſe tum alii ſapientes, tum maxime Horatius naris prorſus emunctae vir teſtatus eſt

Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Muſa loqui. ——————————

Quapropter ſi Graeci ſua dumtaxat mirari conſueverint, parcendum puto; neque enim eos arrogantiae inſimulaverim, ſed beatam potius

eorum

eorum ſortem praedicaverim, qui apud ſe in quocumque ſcribendi genere, in doctrinis omnibus pertractandis principes viros habuerint, & eloquentiae, atque poëſeos exemplaria abſolutiſſima, quorum virtutes ceterarum ſcriptores linguarum prorſus aſſequi non potuerunt. Nam ſermo ipſe Romanus, Fabio teſte, etſi tam praeclarus, tam nobilis, tam elegans exiſtit, illam ſolis conceſſam Atticis Venerem recipere non videtur. Non me fugit, auditores, eorum non paucos, qui Graecas literas aut nihil, aut leviter attigerunt, ſingularem hanc Graecorum laudem iniquius tuliſſe, utque illam imminuerent, atque elevarent conatos eſſe. Quid autem Graecorum obtrectatores iſtos obtinuiſſe dicemus? Illud profecto, auditores, quod eos gravius afficeret, nimirum, ut diſceptando magis perſpicua fieret veritas, adeo ut vix ſuperſit ullus, qui primas Graecis non deferat, ſapientiae patres non appellet, & doctrinarum, elegantiarumque omnium praeceptores eſſe non fateatur. Quamobrem quid melius, quid utilius, quid acceptius vobiſcum agere poſſim, auditores, non video, quam ut ſtudioſos adoleſcentes, qui ſapientiae amore incitantur, ad Graecas literas, quarum docendarum publica haec provincia mihi demandata eſt, ſumma animi alacritate proſequendas, adhorter, atque inflammem. Quod ut exequar, planum me facturum oratione mea polliceor, eos, qui literas Graecas callent, longe ampliorem, longeque iucundiorem ſibi ſapientiam compara-

re,

re, quam qui Graece neſcientes aliunde eam expetere neceſſe habent. Adeſte igitur animis, auditores, adeſte, adoleſcentes; niſi enim dedita opera voſmetipſos pertinaciter obfirmetis, rationum ponderi, quas in medium afferemus, vos fore ceſſuros minime dubitamus.

Largius e fontibus, quam e rivulis aquam promanare ſiquis planum facere contendat, idem prorſus agere videbitur, ac ſi rationes importunius in medium afferat, quibus & fervere ignem, & lucere Solem evincat. Quis enim rivulum minorem fonte, a quo accipit quidquid habet aquarum, ſolo naturae lumine non ſentiat, agnoſcat, fateatur? Atqui ita ſane res habet, ſi Graecos ſcriptores cum ceteris aliarum gentium ſcriptoribus conferas. Graecos ſiquidem copioſiſſimos ſapientiae fontes iure optimo appellaveris; ceteros quoſcumque, quos Graecia non peperit, aut aluit, quamvis ingenio praeſtantes, doctrina uberes, eloquentia nitidos, non niſi rivulos dicendos eſſe, graviſſimus auctor eſt, ut alios praeteream, ipſemet Cicero. Quamquam enim Graecorum gloriam acerrime ſit aemulatus, & Graecum ſermonem, ut Latinum proveheret, extimulante invidia aliquando infringere ſtuduerit; tamen amicos ſuos, in quibus ſtudium eſſet, in Graeciam mittebat, ideſt ad Graecos ire iubebat, ut a fontibus potius haurirent, quam rivulos conſectarentur, ut ipſemet interpretabatur. Dum enim ſapientia a fontibus ipſis hauritur, non modo copioſior, ſed & purior ha-

habeatur neceſſe eſt. Nam rivuli neque totam capiunt, neque ſinceram devehunt, ſed partem illam, quam acceperunt exiguam, ſaepe coeno commiſcent, atque commaculant. Quamobrem in eos fontes, qui ſeſe altius ingurgitarunt, difficile dictu eſt, auditores, qua doctrinae copia redundent, qua rerum omnium ſcientia affluant, quam late patentem, & in omnia genera diffuſam, nullaque labe coinquinatam ſapientiam conſequantur. Equidem Philoſophiam (ut eam primum, quae principem locum obtinet inter ceteras diſciplinas, quibus humana ſapientia coaleſcit, noſtra proſequatur oratio) nullibi poſſe puto pertractatam uberius reperiri, ac luculentius explanatam, quam apud Graecos. Nam ſi vel unum Platonem adeamus, nonne is ampliſſimis eius opibus ſatis ſuperque animum ditare valeat, ut vix aliud ex ea reliquum ſit, quod aliunde expeti poſſit? Plato ſiquidem qui ad Aegyptios, Phoenices, Chaldaeos, Indos doctrinae cauſſa peregrinatus eſſe dicitur, Philoſophiam in multa membra diſſipatam in unum veluti corpus collegit, totamque ſinu ſuo excipere viſus eſt. Quamobrem Tullius philoſophorum Homerum Platonem dixit. Quemadmodum enim totius poëſeos nobiliſſimum fontem Homerum agnoſcimus, ſic & uberrimos philoſophiae fontes apud Platonem requirendos eſſe exiſtimamus. Iam vero Alexander Severus cum ad coelum uſque Virgilium evehere cuperet, nullam de eo praeclariorem laudem praedicare poſſe

putavit, quam poëtarum Platonem illum appellando. Etenim quam paene infinita ſciverit maximus ille omnium aetatum vir, quantamque omnigenae ſapientiae copiam ad nos transfuderit, quis umquam dicendo explicare poſſit? Pythagorae, atque Heracliti, qui non ſolum e coelo philoſophiam in terras, atque in medios hominum coetus evocaſſe, ſed & rerum cognitione ſupra alios eminuiſſe dicuntur, doctrinam omnem, quam de naturae rebus tradiderunt, Plato complexus eſt, optimaque Sociatis praecepta morum, quem tot annos magiſtrum audivit, diſertiſſime explanavit. Quis eo ſublimius res divinas eſt contemplatus? Quis natura duce ad veritatis cognitionem propius acceſſit? Quis de rebus omnibus ſapientius, quis copioſius diſſeruit? Nulla plane res eſt, auditores, quam Plato ignoraſſe videatur. Quid autem de Ariſtotele magni Platonis diſcipulo dicemus? Nam ſi ob ſcientiae magnitudinem, ac profunditatem Divinum veteres appellaverunt Platonem, Ariſtotelem pariter ob doctrinae copiam, & varietatem dixerunt Daemonem. Etenim quam bene de philoſophia ſit meritus Ariſtoteles, praeclariſſima declarant doctrinae ſuae monumenta, quae edidit, naturam omnem complectentia, omnemque vitam illuſtrantia. Neque enim multa, quae Ariſtotelis inſcripta nomine circumferuntur, tanto viro indigna, Ariſtoteli attribuenda eſſe exiſtimabitis, auditores; ſed mera eſſe Ariſtoteleorum commenta, quae apud im-

peritos

peritos eius exiſtimationem non parum deprimunt, & convellunt. Sane qui Graece ea perlegunt, quae ipſemet Ariſtoteles Graece ſcripſit, non tam multa apud eum offendunt, quae reprehendant, improbentque; neque toto coelo a Platone diverſum, ab eiuſque doctrina perpetuo, ut vulgo fertur, diſſidentem, ſed cum Platone paſſim eadem ſentientem agnoſcunt, ut olim utriuſque conſenſum in philoſophiae decretis ſe agnoſcere profeſſus eſt Antiochus Academicus, eiuſque auditor Cicero, aliique permulti. Vix poſſum mihi temperare, auditores, quin ira exardeſcam, & maledicta in eos congeram, qui tanta audacia Ariſtotelem cavillantur, tantaque inſolentia carpunt; Virum, Deus immortalis! quem tota antiquitas ſuſpexit, demirata eſt, neque ſatis pro merito laudari poſſe putavit; Virum, qui unus tot doctiſſimis omnium ſeculorum viris fuit inſtar philoſophorum omnium; Virum, quem tanti faciebat Plato, ut ſi quando in eius ſchola deſideraretur, quam octodecim totos annos frequentaſſe dicitur, *Mens deeſt*, ſapientiſſimus exclamaret praeceptor; Virum denique, quem Philippus Macedonum rex, non minus bellicis rebus geſtis, quam ſapientia inſignis, tanto in pretio habuit, ut cum ſibi naſceretur Alexander, non tam gaviſus ſit filium ſibi Deorum munere conceſſum eſſe regni ſucceſſorem, quam natum illum eſſe Ariſtotelis tempore. Verum ut eo redeat oratio, cuius cauſſa haec de Platone, atque Ariſtotele leviter diſputavimus, quanto plus

ſapientiae credimus, auditores, eos fore apud ſe collecturos, qui ex hiſce pleniſſimis fontibus philoſophiam hauſerint, & liberaliter biberint, quam qui eam tantummodo in recentiorum philoſophorum libris perſequuntur, apud quos ieiuna eſt, atque arida, utpote quae beatiſſima illa doctrinae ubertate deſtituitur? Neque vero me reprehendite, quaſi recentiores philoſophos, qui adeo philoſophiam ſuis praeſertim experimentis provexerunt, tantamque ei lucem attulerunt, nequaquam putem eſſe legendos. Legendi plane ſunt, magnoque ſtudio legendi, nam multa Graecorum philoſophiae conſecutis temporibus addita eſſe ultro fatemur; facile ſiquidem eſt inventis addere. Sed recentiores tantummodo negaverim eſſe legendos; praecipuam enim ſtatuimus dandam eſſe operam Graecis philoſophiae auctoribus, qui & primi hanc facultatem pertractarunt, & largioris doctrinae copia refertam nobis tradiderunt. Iam vero de eloquentiae, & poëſeos diſciplinis eadem profecto dicenda nobis occurrunt, quae de philoſophia hactenus diſſeruimus, quandoquidem ſapientia his tribus maxime partibus conſtare videtur. Verum e multis Graeciae oratoribus, & poëtis (quamquam fere omnes praeſtantiſſimos eſſe affirmare poſſum) duos tantum recenſendos puto, Demoſthenem ſcilicet, atque Homerum, ceteros autem ſilentio praetereundos, ne Graecorum Scriptorum indicem concinnare vobis videar, quod certe longum eſſet, & moleſtum, & haudquaquam neceſſarium. Cur igi-

igitur arbitramini, auditores, Quintilianum cenſuiſſe non ſolum accurate evolvendum eſſe Demoſthenem, ſed etiam prorſus ediſcendum ei, qui orator inſignis fieri debeat? Niſi quod granditas orationis, & contentio, omneſque uno verbo virtutes, ex eo melius, quam e Latinis oratoribus dignoſcuntur? Et quoniam magnificentia, & vi orationis tam longe oratores omnes ſuperare viſus eſt, idcirco commemorato eius nomine, eloquentiae conſummatio, ut Valerii Maximi verbis utar, animo oboritur audientis. Solus enim Demoſthenes orationem vivam habuit; ceteri omnes elaboratam malleo. Quid igitur mirum eſt, auditores, ſi tantum in eloquentia profecerit Cicero, qui a puero toto pectore in Demoſthenis ſtudium incubuerit, neque umquam grandior factus e manibus dimittendum duxerit, eiuſque orationes non paucas Latine verterit, ut earum egregius imitator in ſuis elucubrandis exiſteret? Neque tantum Demoſthenis in eloquendo vim, pondus, elegantiam imitatus eſt; ſed ab eius Philippicis ſuas quoque, quas in M. Antonium ſcripſit orationes, Philippicas nuncupatas voluit, ut tituli aemulatione faceret inſigniores. An vero putatis, auditores, tantam eloquentiae gloriam Ciceronem ſibi fuiſſe comparaturum, quantumvis divina ingenii vi a natura praeditus eſſet, niſi tam praeclara Demoſthenis veſtigia, quibus ſtudioſiſſime inſiſteret, habuiſſet? Quamobrem Ciceronem, ut aequum eſt, veluti maximum eloquentiae exem-

exemplar vobis propono, adoleſcentes; propono etiam, huius patriae linguae, quae ſane inter vernaculas omnes praeſtantiſſima eſt, ſcriptores in eloquentia maximos, quorum optime dicendi facultatem aemulemini: ſed prae ceteris omnibus Demoſthenem, alioſque Graecos Oratores propono, quibus eloquentiae faſces ceteri Oratores omnes ſubmittunt. Etſi enim demus philoſophiam in quibuſdam arcanis naturae rebus expendendis nova in dies cognitione proficere (multa enim non de integro inventa ſunt, ſed ex antiquis Graeciae magiſtris eruta, & ut recentia in medium allata) tamen ad cumulatiſſimam Graecae eloquentiae laudem neque Latini, neque alii umquam acceſſerunt. Eloquentiaene tantum dicam, an ſimul etiam poëſeos? Graeci ſiquidem non minus divina poëſeos vi, quam ſumma eloquentiae facultate omnibus anteire viſi ſunt. Nam & Homerus, quem e poëtis unum nominandum ſuſcepi, adeo carminibus ſuis excelluit, ut eius ingenium ſine exemplo maximum Paterculus dixerit. Magnitudine enim operum, & fulgore carminum ſolus appellari poëta meruit, in quo hoc maximum eſt, quod neque ante illum, quem ille imitaretur habuit, neque poſt illum, qui eum imitari poſſet, inventus eſt. Nemo enim umquam fuit, qui ut Homerus, poëticam laurum momorderit. Nam quod nihil omnino molitus ſit inepte (quam profecto laudem ceterarum luculentiſſimam duco) teſtatus eſt Horatius. Ab eo ceu fonte perenni omnium

vatum

vatum ora rigari, affirmavit Ovidius. Me ſane deficiet dies, ſi omnia de ſingulari Homeri praeſtantia omnium aetatum teſtimonia exequi pergam. Videtis, auditores, quam in arctum mea cogatur oratio, quae ſi latius divagari, & de Ariſtophane, Pindaro, Euripide, ceteriſque diſſerere poſſet, nonne ex omnibus ſingillatim recenſitis illud ſemper evinceret, quod oſtendendum initio propoſueram, eos, qui Graecam linguam, Graecaſque literas norunt, ſapientiae theſauros opulentiores, prae aliis, ſibi comparaturos? Quid quod Athenaeus, & Plutarchus libros ediderunt, tam reconditâ doctrinâ, tam multiplici, ſubtilique ſcientiâ refertos, ut fere totius eruditionis penu in ipſis latitare videatur, atque illinc, ſi quis ſerio evolverit, ampliſſimam ſapientiam depromere valeat? Quid ambobus illis doctiſſimis undecumque viris excogitari poteſt eruditius? quid fuit umquam poſt homines natos ſapientius? Equidem cum Theodoro Gaza acris judicii homine ſentio, qui interrogatus, ſi omnium librorum iactura eſſet facienda, eique optio daretur, quem maxime ſervatum vellet, Plutarchum dixit. Eſt enim vere theſaurus eorum, quae praeſtantiſſima in omnibus aliis Scriptoribus ſparſim inveniuntur, ſive philoſophiam, ſive alias diſciplinas, ſive hiſtoriam Graecam, & Romanam ſpectes. Sed quorſum haec? dicet aliquis. Nonne Graeci omnes Scriptores in Latinum ſermonem jamdiu converſi ſunt? Quid tantum laboris, ac vigiliarum, in unius Graecae linguae ſtudio ad diſcendum

per-

perdifficilis impendere neceſſe eſt? Quid intereſt, utrum Graece, an Latine docentes Scriptores illos, quos tantopere commendaſti, ſapientiam nobis comparaturi adeamus? Parum fortaſſe referat, o bone, ſi verſiones perlegas. At non perlegis. Cum enim interpretes leporem illum ſolis Graecis peculiarem, & orationis ſuccum numquam ſint aſſecuti, neque aſſequi potuerint, verſiones nequaquam alliciunt, nequaquam oblectant, quae proinde aut minime leguntur, aut non libenter, ſed cum faſtidio, animique contractionem leguntur. Quare illud quoque manifeſtum eſt, quod altera orationis parte vobis demonſtrare pollicitus ſum, eos, qui Graece ſciunt; non tantum uberiore, ſed & iucundiore ſapientia perfrui. Neque vero, ut Graecae linguae cognitione aſſequamini, tantum vobis eſſe deſudandum, tantumque temporis impendendum putate, adoleſcentes, quantum opus eſſe falſo ſuſpicantur plerique. Graecam linguam planam eſſe, ac parabilem multis ab hinc annis Etruſca oratione iam docuimus, eamque ad ſtudioſae iuventutis utilitatem typis mandavimus. Neque defuerunt bonae indolis adoleſcentes nonnulli, qui rationibus, quas explanavimus, ducti, ac permoti, ad Graeci ſermonis ſtudium animum adiunxerunt, & vera eſſe, quae diſſeruimus, reipſa teſtati ſunt. Aquibus in medium iterum afferendis, ne nimis in dicendo longus patientia veſtra abuti videar, ſuperſedeo. Nihilominus etſi maxime arduus, maximeque difficilis eſſet Graecorum ſermo, ner-

vos

vos omnes ad eum perdiſcendum contendere deberetis, adoleſcentes, nulli labori parcere, nullas vigilias, nullam ſtudii diuturnitatem pertimeſcere. Tanta ſiquidem eſt iucunditas, & voluptas, quae a Graecis literis emanat, ut omnis labor, taedia omnia, atque incommoditates ad tantum gaudium aliquando conſequendum magno ſint animo abſorbendae. Quam voluptatem ut aliquantiſper, qua poſſum ratione, vobis ob oculos ponam (quanta enim revera ſit, niſi quis experiatur, haudquaquam omnino poteſt percipere) mecum quaeſo animadvertite auditores, eam Graecis a natura ingenii vim, ac dexteritatem fuiſſe conceſſam, ut recte, ac prudenter de rebus quibuſlibet ſemper ſenſerint, acres in excogitando, atque ſublimes; ſed numquam a natura, verique ſimilitudine diſcrepantes, nihilque umquam frigidarum, atque inanium rerum perſequentes. Quamobrem qui veteribus Graeciae ſcriptoribus legendis operam ſuam navat, multo illinc iucundiorem, multoque dulciorem ſapientiam haurit. Cum enim optima quaeque, optimeque excogitata ubique offendat, intueatur, conſideret, neque umquam in levibus, parvique momenti rebus tempus miſerabiliter abſumat, iucundiſſimo voluptatis ſenſu afficiatur neceſſe eſt. Equidem fateor multos etiam alios, qui e Graecia non prodierunt, maximeque e Latinorum numero, graviſſimos ſcriptores exiſtere, acerrimi in ſcribendo iudicii, & Graecorum gloriam maxima cum laude aemulatos; attamen cum do-

ctiſſimis viris ſentio nonnihil in ipſis adhuc deſiderari, ut illam in excogitando ſingularem Graecorum vim, conſummatumque iudicium conſecuti eſſe videantur, atque id in cauſſa eſſe, cur non tantam inter legendum, quemadmodum Graeci, iucunditatem afferant. Cuius rei certiſſimum argumentum eſt, quod qui Latinam, aliamque quarumcumque linguarum optime noverit, ſi Graecam quoque probe calleat, libentius, ac ſuavius in Graecis, quam in aliis perlegendis ſcriptoribus immoratur. Abſit, auditores, abſit, ut Latinorum gloriam, aliorumque praeclariſſimorum virorum, qui optime de ſapientia meriti ſunt, ſummaque aeſtimatione digniſſimi, ne hilum quidem oratione mea imminutum velim. Permagnam & ipſos voluptatem afferre legentibus affirmamus. Sed tamen veſtra, eorumque pace dixerim, longe maior, longeque iucundior voluptas eſt, quam afferunt Graeci. Quod cum animadverteret Quintilianus, puerum praecipit, qui literis, & ſapientia eſt imbuendus, prius quam Latinis, Graecis diſciplinis erudiri. Craſſus item, ut Graeco ſermone dicendi praecepta in urbe traderentur, conſtituit. Hanc enim tenendam in docendo rationem bene, ac ſapienter putavit laudatiſſimus uterque vir, tum quod e Graecis literis Latinae fluxerunt, tum maxime quod Graeci ſcriptores plus afficiunt animos, & ad ſapientiam ſuavius alliciunt, ſeu potius pertrahunt. Etenim Homerus, ex quo Graecae linguae ſtudium auſpicari conſultiſſimum duco, tam

mi-

mirifice delectat, acuit, paſcit legentium animos, tam incredibili voluptate perfundit, ut praeterire nemo poſſit eius, pluſquam Sirenum, dulces cantus, niſi forte livoris, aut inſcitiae veluti cera oblitas, & obturatas aures habeat. Quam enim multiplex in Homero rerum varietas, quas omnes ſummo ingenio, iudicio, ſapientia ubique pertractat? Quanta utiliſſimorum praeceptorum copia, quorum auſteritatem ſpecioſarum fabularum condimento mitigat, ac delinit? Nam idcirco capit, ac demulcet innoxiae voluptatis illecebris animos, ut ſalutarem ſimul monitorum medicinam utiliter deceptis infundat. Quam egregie res omnes deſcribit, ſpirantibuſque veluti coloribus exprimit, ut ignores, utrum poëſin, an picturam eius carmina appelles? Quae enim regio, quae ora, quis locus, quae ſpecies formae, quae pugna, quae acies, quod remigium, quis motus animorum, quis ferarum, quae hominum, ceterarumque rerum imagines non ita expictae ſunt, ut intueri potius, quam legere arbitreris? Quanta totius antiquitatis, morumque priſcorum eruditio? Quae vero, Dii boni, verborum lenocinia? qui floſculi? quae gratiae, quae veneres? quae elegantiae, quanta ſermonis cum ſimplicitate, & nativo candore coniuncta ſublimitas?

———————— ut ſibi quiſque
Speret idem, ſudet multum fruſtraque laboret
Auſus idem. ————————

O divinum Homerum! O Vatem nemini confe-tendum! O Virum humanae conditionis in ſapiendo modum praetergreſſum! O inexhauſtum totius ſapientiae Oceanum, cuius aquas quovis nectare dulciores quo plus pleno ore potaveris, eo plus ſitias, & adhuc potare cupias! Quam me eorum miſeret, qui tantam Homeri dulcedinem, quae nullatenus verbis explicari valet, in Graeco fonte deguſtare non poſſunt! Non enim exigua humanae felicitatis parte (ſiqua modo eſt in hac vita) deſtituuntur. Ego ſane in eius carminibus iterum, ac ſaepius perlegendis tanta defixus haereo admiratione, auditores, tanta expleor geſtientis animi voluptate, ut quidquid laboris, & curarum, quas in Graeco ſermone addiſcendo ſuſcepi, prae tanti boni magnitudine, quo nunc perfruor, vel leviſſimum videatur, nec laboris, ac ſtudii diuturnitatem denuo congeminare pigeret, ut vel ad unum Homerum legendum, atque intelligendum pervenire poſſem. An vero tantam ſolum Homerum legentibus afferre iucunditatem, nequaquam vero ceteros quoque Graeciae ſcriptores eamdem delectationem parere exiſtimabitis? O beatam Graeciam! O Graecorum ſortem nimis invidendam! O beatos Graeci ſermonis ſtudioſos! Omnes delectant ſimiliter, omnes ſimiliter incredibili voluptate animos explent. Omnes enim & mira ſentiendi vi, & ſumma eloquendi laude praeſtiterunt. Nullum apud Graecos cordis, & linguae diſſidium reperire eſt. De omni ſiquidem re, quam pertra-

ctan-

ſtandam ſuſceperint, & optime ſentiunt, & luculentiſſime diſſerunt. Quod enim de Neſtore affirmavit Homerus, quod ex eius ore dulcior melle manaret oratio, illud in primis de Homero ipſo, deinde vero de Graecis omnibus dicendum putatote, auditores. Nonne de Platone diſerte Cicero teſtatus eſt, Iovem, ſi loqui vellet, non aliter quam Platonis lingua locuturum? Ariſtoteles vero tantam praefert nulla ambitione, nulloque fuco venuſtatem, ut naturae potius, quam hominis ore locutus eſſe videatur. Conſueverunt enim Graeci ſcriptores res omnes, quaecumque ſibi propoſitae ſunt, non ſolum ſcienter & docte, ſed etiam ornatiſſime, ſplendidiſſimeque, & cum ſumma ubertate ſermonis explicare. Non enim qui philoſophiam inter eos tradiderunt, orationis gravitatem, & ornatum contemnendum putaverunt, ut plerique minoris notae philoſophi nunc faciunt, qui videntur laudi ſibi ducere inquinatiſſime loqui, & ſermonem ruris plenum, ac ſqualoris perſequi; ſed magnitudinem ſcientiae cum dicendi copia, & ſplendore verborum coniunxere, non minus inſignes ſentiendi auctores, quam eloquendi. Turpe ſiquidem, & plane abſurdum ſapientiſſime exiſtimarunt de praeclariſſimis philoloſophiae rebus barbare, atque incompoſite diſputare. Rerum enim maieſtas ob ſermonis foeditatem non parum imminuitur, ac vileſcit. Quis enim non videt has infectas barbarie nobiliſſimas diſciplinas plurimum priſtinae dignitatis amiſiſſe, plurimumque

que ab illa, quam olim apud homines obtinebant, exiſtimatione excidiſſe? Eam ipſam facultatem, quae de Deo, diviniſque rebus, Chriſtiana Religione, Chriſtianaeque legis praeceptis diſſerit, quamque vix ulla dictionis elegantia apud Latinos comitatur, quanto eloquentiae nitore, verborum flumine, ſermonis lepore, apud Graecos Patres, quos Sanctis adſcriptos veneramur, pertractatam invenies? Siquis enim Baſilium, duoſque Gregorios, Nazianzenum, Nyſſenumque, Ioannemque Chryſoſtomum ſedulo evolvat, eorum profecto orationem aurum purum putum aeſtimabit, nullamque eloquentiae laudem illis defuiſſe ſentiet. Sane, ut de me fatear, tam arcte animum meum divina eloquentia ſua ſibi devinxit D. Baſilius, ut veluti meas delicias, meoſque amores paene exoſculer, atque amplectar, eamque in illius legendis libris voluptatem experiar, ut nihil ſupra in re literaria poſſe cupere mihi videar. Quem enim ſuaviſſima, qua valet, dicendi vis non illiciat, demulceat, & ad ſeſe rapiat? Demoſthenis vim, Platonis copiam, Iſocratis ſuavitatem tam egregie, tantaque cum laude aemulatus eſt, ut Deſiderius Eraſmus vel ipſum Demoſthenem (ſi Diis placet) ab eo ſuperatum eſſe affirmare non dubitaverit. At enim ſperandum eſt nemini divinam Baſilii eloquentiam, flexanimamque perſuadendi vim, qua in animos influit, perſentire, niſi Graece loquentem audiat. Elaborarunt quidem inclyti viri, ut diſerte non minus, quam ornate Latinum facerent. Elaboravimus & nos,

ut

ut orationes eius non paucas ea, qua potuimus elegantia, verborumque nitore Etruſce interpretaremur. Quid autem? Vappam generoſiſſimum vinum cum a nobis, tum ab illis factum intelligimus. Ubi enim in Latinis, atque Etruſcis verſionibus heroica illa vis, & ſubtilitas grandiloqua, ubi beata illa, neque tamen umquam otioſa verborum luxuries? Quid igitur miramur, ſi Graeci ſcriptores in alium ſermonem converſi minus legentes afficiunt, minuſque delectant, quinimmo balbutire quandoque (quod magnopere dolemus) & prope frigere videntur? Atticam illam venuſtatem, Atticas illas veneres, candidam ſimplicitatem illam cum tanto numero coniunctam nemini umquam interpretum non dicam exprimere, ſed vix adumbrare licuit. Graecae enim eloquentiae nervi, cum Graeci ſcriptores vertuntur, frangi, ac ſuccidi quodammodo videntur. Accedit, auditores, quod Graecorum ſermo leniter, ac molliſſime fluat, Latinus vero, atque alius quicumque aſper ſit prae illo, & duriuſculus. Herodoti novem hiſtoriarum libros, Muſarum nominibus inſcriptos eſſe tenemus. Thucydidis oratio adeo Demoſthenem ipſum demulcebat, ut octies totum exſcripſerit. Xenophontem in eloquendo iucundiſſimum Muſam Atticam appellarunt veteres. Ariſtophanis vero leporem, quem adeo in deliciis habuit Ioannes Chryſoſtomus, admirantur omnes, imitari potuit nemo. At ſi Latino, aliove ſermone converſos legeris, non ii plane tibi videbuntur,

quos

quos omnium ſermone celebrari audis , neque eam percipies animo iucunditatem , quam qui Graece docti ſunt , ſe percipere teſtantur . Ecquis adhuc dubitare poſſit , auditores , multo amplioris , ac ſuavioris ſapientiae , quam ceteros , compotem fieri , qui Graecum ſibi ſermonem adſciſcendum putaverit ? Cuius rei veritatem quamvis certiſſimis argumentis ſatis perſpicuam hactenus reddiderimus , tamen ut magis , magiſque vobis eluceſcat , adoleſcentes , fingite animo nobilem virum , qui Europae peregrinationem ſuſcipiat , ut ſapientis Ulyſſis exemplo diverſorum mores hominum , & urbes videndo , multa rerum cognitione , atque experientia animum inſtruat , qua ſibi , reique publicae honori , atque emolumento eſſe poſſit . Verum ſi minores urbes tantummodo luſtret , omnium vero nobiliſſimas Romam , Lutetiam Pariſiorum , Londinum , Vindobonam ; vel negligat , vel tabellis depictas inſpiciat , nonne parum iucunde , parumque utiliter peregrinatum eſſe exiſtimabitis ? Qui vero principes illas urbes , & ceterarum praeſtantiſſimas adit , Regumque illic conſilia , Magiſtratuum prudentiam , civium inſtituta , gentium opes , mores , ſolertiam introſpicit , quanto praeclarius , iucundius peregrinari , quantoque inſtructior ad patriam reverti videatur ? Atqui hoc ipſum de ſapientiae regno , ſiquis illud peragrare inſtituat , iudicium ferte , adoleſcentes . Nonne Homerus , Plato , Ariſtoteles , Demoſthenes , ceterique , quos iam memoravimus , in hocce praeclariſſimo regno

pri-

primas tenent, & tamquam praecellentiſſimae urbes ſunt, quas niſi aliquis Graeci ſermonis peritus inviſere valeat, peregrinationem humiliorem conficiat neceſſe eſt, mentiſque oculos minime paſcat dulciſſimo rerum pulcherrimarum ſpectaculo? Quod ſi ſummos Graecos illos Scriptores demirari apud interpretes ſatis habeat, idem plane eſt, ac potiora regni loca, potiores urbes non revera exiſtentes, ſed picturatis veluti lineamentis in pagina ductas, & repraeſentatas contemplari. Quae cum ita ſint, eia agite, animo conſurgite, optimi adoleſcentes, & in Graeci ſermonis ſtudium alacriter incumbite. Literarum amore captos vos video, & vehementer laetor; ſapientiae avidos, & magnopere laudo; quodque magis me recreat, recte ſapiendi cupidos. Exolevit enim barbaries, quae iampridem literas, omnemque politiorem humanitatem obruerat; emerſit e tenebris ſapientia, caputque ad priſtinam lucem erexit. Quis enim longe rectius, nobiliuſque quam antea literarum ſtudia excoli, longeque ſplendidius doctrinis omnibus lumen acceſſiſſe, denegare valeat? Nihilominus unum adhuc deſideratur literariae felicitati, & ſplendori; unum adhuc veſtrum compluribus deeſt, & ſane maximum, optimi adoleſcentes, parandae ſapientiae ſubſidium, nempe linguae Graecae cognitio. Partim enim in unoquoque doctrinae genere literatos, & cumulate literatos, etiamſi Graeci ſermonis ignaros, fieri vos poſſe confiditis; partim vero rei difficultate deterriti

ne a limine quidem Graecas literas ſalutare ſuſtinetis. Novi veritatem ſaepe numero odium dicenti parere. Attamen ea, qua vos omnes proſequor benevolentia, veritatem me praeterire non ſinit. Malo enim damnum ipſe accipere dicendo, quam damnum, me ſilente, vos ſubire. Credite, adoleſcentes; veſtra vos fallit opinio. Erit fortaſſe ut ad aliquam literarum laudem etiam ſine Graeci ſermonis adiumento perveniatis, non vero ut ad plenam, ad cumulatam, ad ſummam laudem perveniatis. Graecae enim linguae cognitionem, praecipuam ac potiorem eſſe partem, & veluti totius eruditionis caput, nemo eſt cordatorum hominum, quin fateatur. Nolim ergo vos generoſa indole, ſingularique ingenii acie praeditos, mediocri tantummodo laude contentos eſſe, & mancam adeo ſapientiam, vixque dimidiatam expetere. Omnem ſapientiae plenitudinem, omnemque cumulum aſſiduo Graeci ſermonis ſtudio vobis comparate. Suaviſſimam dulcedinem deguſtate, iucundiſſimam voluptatem experimini, quam a Graecis literis largiſſime profluere docuimus. Inanem metum abiicite, magnos ſpiritus ſumite, Graecamque linguam non tam certe arduam, ut mendax habet vulgi opinio, non tam ſalebroſam, non tantis difficultatibus circumſeptam, toto pectore conſectandam vobis ſtatuite. Magnanimus ille Hannibal, traiecto Rhodano, Italiam recta petens, cum milites ſuos Alpium, quae nivibus obſtructae erant, ſuperandarum difficultate perculſos animadverteret, ita

ſa-

ſapienter eos allocutus eſſe apud Livium perhibetur. Quid aliud Alpes eſſe creditis, quam montium altitudines? Fingite altiores Pyrenaeis: An terras aliquas coelum contingere, & inexpugnabiles humano generi eſſe creditis? Non abſimili vobiſcum oratione utar, adoleſcentes. Fingite Graecum ſermonem in celſiſſima ſede ſitum, difficiles habere aditus, multoſque ut ad eum conſcendatis, praeruptos ſcopulos vobis eſſe ſuperandos. Anne vero putatis aliquam eſſe linguam, ad cuius cognitionem veſtra ingenia pervenire non poſſint? Cum praeſertim coeli huius benignitate acutiora vobis obtigerint, quam aliarum gentium adoleſcentibus, qui tamen non longo temporis curriculo Graecam linguam addiſcere valent? Liceat Anglis, Gallis, Belgis Latinae linguae ſtudio Graecarum quoque literarum cognitionem adiungere, ſolis Italis non liceat? Peregrinos epularum, veſtiumque mores, omnemque exterarum nationum vitae licentiam ſtudioſiſſime aemulamur, quam potius reſpuere oportuerat, maiorum noſtrorum, qui laudabili nobis exemplo praeluxerunt, frugalem, ac modeſtam vivendi rationem conſectantes. Peregrinam vero ſtudiorum conſuetudinem, quam aemulari debueramus, refugimus. Pudeat nos probri, quod in nos Tranſalpini homines iactant, cum nos, quod Graece neſciamus, indoctiores dictitant. Pudeat Graecas literas nos negligere, quae olim in hac florentiſſima Urbe per Ficinum, ac Politianum Mediceorum favore revixerunt. Quamobrem noſtrum

ſtrum eſt, adoleſcentes, iterum afflictas erigere, iterum paene intermortuas excitare, earumque luce ſapientiam noſtram mirum in modum adaugere. At ſiquis adoleſcentiam eſt praetergreſſus, num & ipſe poſſit Graecae linguae navare operam, & ad Graecas literas aſpirare? Quid ni poſſit, ſi velit? Quandoquidem labor omnia vincit aſſiduus. Sane Cato, Tullio teſte, in ſenectute Graecae linguae ſtudium arripuit, aliique complures grandiori aetate poſt illum non infeliciter arripuerunt. Ego quidem cuicumque Graecum ſermonem addiſcere cupienti quidquid eſt in me ingenii, quod tamen ſentio quam ſit exiguum, quidquid in Graecis literis valeo, a quibus ego confiteor nullum aetatis meae tempus abhorruiſſe, id omne, quemadmodum ultro, libentiſſimeque hactenus exhibui, ſic etiam deinceps dum vixero, maxima qua potero diligentia, atque aſſiduitate nullo non tempore exhibebo. Laborum, curarum, vigiliarum fructum omnem, quas in Graecarum literarum ſtudio diutiſſime pertuli, veſtris partum eſſe commodis, veſtrae patere eruditioni exiſtimate. Id enim a natura nobis inſitum ſentimus, & ſummopere gaudemus, ut nemini ſapientiam invideamus, ſed prompto, ac benevolo animo quam nobis utcumque modicam literaturam comparavimus, eam omnibus accipere volentibus communem facere exoptemus. Terret me, fateor, loci huius amplitudo, quam tot viros in ſapientia maximos tenuiſſe video. Terret me maxime omnium doctiſ-

ctiſſimi deceſſoris, ac praeceptoris mei ſapientiſſimi dignitas, gloria, atque eruditio ſingularis. Quis enim umquam Salvinio in literis clarior? quis doctior? quis ſapientior? Quis ad eam, qua maxime valuit, tot linguarum cognitionem, omnigenamque doctrinam accedere poſſit? Verum me recreant non parum, & confirmant Theophraſti, & Speuſippi exempla non vulgaria; quorum alter in docendi munere Ariſtoteli ſucceſſiſſe fertur; alter Platoni. Qui etſi doctrina, & eloquentia eſſent inſignes, tamen a praeceptorum ſuorum gloria, & ſapientia longiſſime abfuerunt. Neque vero iccirco dignitatem loci obſcuraſſe dicuntur; ſed multa cum laude obtinuiſſe. Fateor me quoque Salvinii doctrinam, & eruditionem ter maximam aequare non poſſe; nihilominus, ſi Graecis literis operam dando experiri velitis, & me habere praeceptorem, me non inutiliter ab ineunte aetate in iis eſſe verſatum, neque fortaſſe literariis veſtris commodis promovendis prorſus ineptum, in hunc locum ampliſſimum conſcendiſſe cognoſcetis.

ORA-

ORATIO II.

HABITA FLORENTIAE PRO SOLENNI STUDIORUM INSTAURATIONE ANNO MDCCXXXIV.

Diſcipulorum ſocordia, optimorum Praeceptorum virtutem frangi; ſtudio vero eorum ac ſedulitate mediocribus etiam addi virtutem, ut fiant optimi.

PRudenter Mercurii ſimulacrum duplex effinxiſſe Aegyptios cenſeo, & iuvenis formam formae ſenis adiunxiſſe, patres ampliſſimi, humaniſſimi auditores. Cuius myſterii cum multae afferri poſſint interpretationes, ea mihi arridet prae ceteris, quod ſcilicet commento illo indicare voluerint non poſſe iuvenem ſapientis laudem adipiſci, niſi ſenum conſuetudine libenter utatur, & ab iis doctrinam, & prudentiam, qua caret, diligenter exquirat. De Epaminonda tradit Nepos, quod Philoſophiae praeceptorem habuit Lyſidem Tarentinum, Pythagoreum, cui quidem ſic fuit deditus, ut adoleſcens triſtem, & ſeverum ſenem omnibus aequalibus ſuis in familiaritate antepoſuerit; neque prius eum a ſe dimiſerit, quam doctrinis tanto anteceſſit condiſcipulos, ut facile intelligi

Digitized by Google

poſſet, pari modo ſuperaturum omnes in ceteris artibus. Utinam praeclarum nobiliſſimi iuvenis exemplum vos extimulet, atque impellat, ornatiſſimi quotquot adeſtis adoleſcentes, ut quoniam ad literas, ac ſapientiam aſpirare videmini, nugarum avocamenta reſpuentes, quibus nonnulli a virtute devii aequales veſtri vos abducere conantur, eam diligentem, aſſiduamque audiendis praeceptoribus operam navetis, quae vos pariter doctrinae gloria cumulet, ceteriſque excellentiores efficiat. Credite, adoleſcentes, hoc praeſertim in cauſſa eſſe, cur adeo pauci literas eximie condiſcant; ſed contra plerique ubi complures annos publica Athenaea frequentarint, ieiune admodum, ac tenuiter abeant eruditi. Magiſtris, qui in eis erudiendis laborant non ſatis ſe praebent accuratos, & doctrinarum, quas ſibi tradunt, cupidos. Profecto nonnullos homines ipſemet audivi, qui nimis facile de rebus omnibus iudicium ferentes in publicis hodie Athenaeis vix paucos aliquos idoneos viros adeſſe iactant, qui plene & cumulate poſſint doctrinas diſcipulis tradere. Neque deſunt adoleſcentes aliqui ſatis dicaculi, qui huiuſmodi calumniam, quam ex grandioribus natu acceperunt, iactantes & ipſi adverſus nos, hanc negligentiae ſuae cauſſam praetexerunt, exiguaeque, quam fecerunt in doctrina, progreſſionis culpam in magiſtrorum ſive tenuitatem, ſive oſcitantiam transferunt. Atqui iuſtius conqueri poſſunt doctrinarum profeſſores perpaucos hodie in publicis

cis Athenaeis verſari diſcipulos, qui ſeduli, ac ſtudioſi praeceptorum opera, & labore uti velint. Etſi enim praeſtantes omnes non eſſent ſcientiarum magiſtri, ſi tamen inſigni eos circumſtent diſcipuli diligentia, atque attentione, plurimum inde incrementum illorum doctrinam accipere poſſe contendo. Quod ut clarius liqueat, breviter demonſtrandum ſuſcipio, diſcipulorum ſocordia, optimorum praeceptorum virtutem frangi; ſtudio vero eorum, ac ſedulitate mediocribus etiam addi virtutem, ut fiant optimi. Age vero orationem meam, qua ad ſtudia recurrentis anni impigre capeſſenda vos cohortor, attentis auribus excipite, adoleſcentes, ut maiorem deinceps diligentiam doctoribus veſtris exhibentes, maiorique ſtudio ad ea, quae vobis tradunt, animum adiungentes, promptiores ipſos, atque alacriores ad veſtram inſtitutionem reddatis.

Omnibus hominibus natura inſitum eſt, ut laborem oderint, atque incommoda detrectent: ubi operam ſuam male locari, aut etiam perdi ſentiant, neque bonum laboris, quem ſubeunt, ſperent fructum. An vero aliquis ſit agricola, qui ligonibus exercere agrum, & aratro proſcindere, & in eo triticum ſerere velit, niſi ſpes illum alliciat copioſae meſſis colligendae? Fac vero illum terrae vi, ac natura minime recreari, quae cum gremio mollito, atque ſubacto ſparſum ſemen excepit, primum id occatum cohibet, deinde tepefactum vapore, & complexu

ſuo

ſuo diffundit, & elicit herbeſcentem ex eo viriditatem, quae nixa fibris ſtirpium ſenſim adoleſcit, culmoque erecta geniculato, vaginis iam quaſi pubeſcens includitur, e quibus cum emerſit, fundit frugem ſpicae ordine ſtructam, & contra avium minorum morſum munitur vallo ariſtarum: Fac, inquam, illum iucundiſſimo hoc ſpectaculo non deleniri, quo ſcilicet meſſem videat ad maturitatem in dies ſuccreſcere; putaſne excolendi agri longos labores, diuturna incommoda ſubiturum? Putaſne arbores rigaturum, obortos rubos ſubinde exciſurum, ſoboles vitium e radicibus caudicum ſuper terram fuſas revulſurum; ſtolones in pomis, aut in oleis proceros amputaturum, niſi uberem ſui laboris fructum expectet? Quanto praeſtantius rei ruſticae diſciplinam calleat, tanto plus ſe pigebit agrum excolere, qui ſterileſcat, laborique, quem in eius cultura, dum ſe circumvolvit annus, aſſidue impendere debeat, largo nequaquam foenore reſpondeat. Fingite quoque animo auditores, nobiliſſimum citharoedum tam acri pulſandarum fidium peritia inclytum, ut non minus quam Terpander, Linus, Orpheus audientium aures, animoſque allicere poſſit, ac ſuaviſſime delectare. Hic vero in frequenti hominum coetu divinam artem ſuam proferre iuſſus, ſi forte dum cithara canit, alios oſcitantes videat, alios dormientes, hos inter ſeſe colloquentes, illos cientes ſtrepitum, vixque aliquem unum attentas ſibi aures dedentem, eiuſque ſcientiam deguſtan-

 tem,

tem, poteritne quaeſo citharae pulſationem alacriter proſequi, vimque illam, qua ſumme valet, ſolerter exerere? Imo potius eius praeſtantia languebit, iacebit vigor, digitique paene emortui videbuntur, qui ſi aequiores, attentioreſque nacti eſſent auditores, perniciſſime ſcitiſſimeque ad miraculum uſque fides percurrerent. Complura alia ſuppetunt exempla, ſi afferre velim, quibus magis magiſque liqueat agendi operis, ferendique laboris neceſſarium quaſi delenimentum eſſe ſive ſpem videndi fructus, ſive gratum, ac benevolum eorum, pro quibus labores, in te opuſque tuum animum. Cum tamen illa duo ſufficere putem, ſatius erit omiſſis ceteris ex eis colligere ita prorſus rem ſe habere etiam in optimarum diſciplinarum magiſtris. In primis enim bonus quiſque excellenſque magiſter theatro gaudet, & frequentia diſcipulorum, ſuper quos diffunditare poſſit, quaſi imbres, divitias ſapientiae ſuae; non tamen diſcipulis gaudet, qui ad convenientia diſcendi loca (quemadmodum ſapientiae gymnaſia appellat Demoſthenes) nil aliud afferunt quam corpora, mentem vero ſive nugis, ſive vitiis omnino habent implicatam, & quovis alio potius vagantem, quam illic, ubi ſapientiae praecepta traduntur, commorantem. Cum tamen huiuſcemodi diſcipulorum numerus ſaepe maior, aliquando etiam totus praeceptoribus vel doctrina ſingulari praeditis contingat, ipſique meram temporis iacturam eſſe cognoſcant quam in eis inſtituendis impendunt operam,

quid

quid mirum, ſi animo concidunt, ſi ſuae profeſſionis eos paenitet, ſi eorum virtus elanguet, ac prope dixerim, miſere contabeſcit? Credite quidem, iuvenes; eamdem toties, ac ſaepe nullo fructu crambem repetere ſocordibus diſcipulis, tam gravem affert inſignibus bonarum artium profeſſoribus moleſtiam, ut tantum non ad reſtim adigat, a qua moleſtia ut liberentur, mallent in quovis alio opere ſe exercere, quam in quo verſantur. Cum enim norint multos labores devorandos eſſe, multa ferenda, multa facienda, ſudandum, algendum iis adoleſcentibus, qui ad gloriae metam volunt pertingere, quam ipſis commonſtrant; interim autem eos videant otio ignaviſſimo marceſcere, mollibus deliciis diffluere, ſumma oſcitantia ſibi docentibus adeſſe; nolunt iam plenum eruditionis ſuae eis aperire penu, effundereque reconditas opes, quibus mentem ipſi ſuam complere, ac locupletare non curant. Anne quiſpiam exundantes ſive Maſſici, ſive Falerni cyathos alicui praebeat, qui palati vitio turbidam, ac putrem aquam magis amet? Anne quiſpiam gemmas, atque aurum largiri velit ſtulto, qui longe pluris aeſtimet lutum? Quamobrem quo quiſque eſt ſolertior, atque ingenioſior, eo docet iracundius, ac laborioſius, ſi eruditas voces ſuas, quibus ſapientiae praecepta tradit, per aërem inaniter diſpergi, ac cum ſonitu evaneſcere ſentiat; pretioſaque doctrinae ſemina, quae in diſcipulorum mentes iacit, per eorum ſocordiam omnino perire. Sane in con-

feſſo eſt apud omnes nihil melius eſſe beneficentia. Quae autem maior, atque inſignior, quam rudem hominis mentem doctrina formare, & magiſterio quodam, & ductu vitae colorare mores adoleſcentium, ac veluti murice probitatis inficere? Tam grande hoc beneficium eſt, auditores, tam amplum, ut inde enatum adagium conſtet, Diis, & Magiſtris nihil umquam ſatis rependi. At ſi praeceptor doctrina eximius, qui huiuſmodi beneficii magnitudinem ſentit, videt eos, quibus collaturus eſt, nullo eius beneficii ſenſu affici, nihili facere, negligere, ac paene recipere nolle, quomodo eius voluntas non frigeat, ſive exareſcat, & ab eo conferendo diſcipulis illis inertibus, ingratiſque abſtineat? Oportet enim hoc beneficium nequaquam venumdari, ut probe docet Fabius, ſed neque perdi. Perditur autem quoties is, cui confertur, non illud in pretio habet, non in rem ſuam recipit, non ſinu complectitur, non grata recordatione proſequitur. Quoties igitur praeſtantiſſimi quique praeceptores neque ſtudioſe, neque ampliter hoc docendi beneficium vobis impertiuntur, adoleſcentes, non eos continuo accuſare debetis quaſi muneri ſuo deſint, parteſque ſuas implere nolint; ſed voſmetipſos redarguite, ſocordiam & ſupinitatem veſtram increpate, vobiſque vitio tribuite, quod eorum in docendo virtus frangatur, & concidat. Neque is ſum, adoleſcentes, qui poſtulem a vobis ut tanto in doctrinam doctoſque viros, qui eam tradunt, amore exaeſtuetis,
quan-

quanto arſiſſe fertur magnus ille adoleſcens Euclides Megarenſis. Qui cum Athenis lex eſſet, quae capitis paena ſanciebat, nequis Megarae natus Athenarum fines ingrederetur, quotidie Megara Athenas ad Socratem mutata veſte ſe conferebat, ut ex eo ſapientiam condiſceret, nihil veritus praeſentiſſimum vitae ſubire periculum. At peto tamen, ut ubi alta pax viget, nullumque ſubeundi damni diſcrimen adeſt, literas conſectari non detrectetis, ut magiſtris praeſtanti rerum ſcientia praeclaris attentos, gratos, aſſiduos vos ipſos praebeatis, doctrinaſque, quibus vos erudiunt, in pretio habeatis. Non poſtulo, quod volebat Iſocrates, ut ad eos, qui ſapientiam vel in remotioribus locis tradunt, proficiſcamini longamque eatis viam; cum enim mercatores rei familiaris augendae gratia tanta maria tranſmittant, turpe eſſe arbitrabatur vir ille ſapiens, adoleſcentes excolendi ingenii cauſa nec terreſtre iter velle ſuſcipere. At peto tamen, ut magiſtris, qui vobis ad manus ſunt, & in ipſa patria veſtra munus docendarum literarum profitentur, ad quos facile, nulloque incommodo accedere poteſtis, ſedulam impendatis operam, diebuſque omnibus continuatis, non autem paucis quibuſdam intercalatis ad eos ventitetis. Non poſtulo ut nimis effuſo curſu ad doctrinam adipiſcendam contendentes ad vos frenis compeſcendos praeceptores adigatis, quemadmodum in Theopompo Iſocrates, in Ariſtotele Plato, in Theophraſto Ariſtoteles freno uſi eſſe dicuntur.

Quin-

Quinimmo minime indignor, ſi calcaria vobis ad currendum identidem admoveri debeant; neque enim id facere optimi praeceptores refugiunt; memoriae ſiquidem proditum eſt calcaria admoviſſe Ephoro Iſocratem, Zenoni Platonem, Calliſtheni Ariſtotelem. At peto tamen, ne incaſſum calcaribus vos exacui ſinatis, neve tamquam alte defixa rupes in ſocordia obfirmati videamini; peto ut monitoris aculeis ſalubriter extimulati facile excitemini, neque os durum, ferreumque monenti, aut etiam obiurganti praebeatis. Quod ſi meis monitis parere non vultis, nec ea qua par eſt, diligentia, atque aſſiduitate, praeceptoribus, a quibus doctrina formamini, adeſſe, id profecto fiet, quod hactenus docui, ut ſapientiſſimorum virorum, qui in publicis Athenaeis vobis erudiendis divino munere praeſto ſunt, animi vigor, doctrinaeque praeſtantia culpa veſtra retundatur, & contrahatur, adeo ut in veſtrum bonum ſe proferre, atque explicare nequeat. Iam vero quemadmodum diſcipulorum ſocordia optimorum magiſtrorum virtutem frangi certum eſt, ita diſcipulorum diligentia virtutem exaugeri mediocrium altera mihi orationis parte demonſtrandum ſupereſt. Magna quidem vi amorem eſſe praeditum, magna poſſe, magna efficere notius eſſe arbitror, auditores, quam ut ſive rationibus ſive exemplis probari debeat. Quis vero amor acrior, ac vehementior amore gloriae? Nonne illum homines facere ex infirmis fortes, ex parvis magnos, ex mediocribus ſummos ſaepe videmus?

mus? Fac igitur praeceptorem eſſe, qui rerum ſcientia non ita excellat, qui primas in literis non ferat, ſed bonam tamen afferat muneri ſuo doctrinae mediocritatem; huic autem adoleſcentes praeſtanti indole ſummaque attentione, ac diligentia contigiſſe, qui quam ipſis propinat eruditionem avidiſſime combibant, ſtudium impenſe diligant, nihil quaerant laxamenti nec veniae, tantoſque efficiant in literario ſtudio proceſſus, ut evolare, non excurrere videantur. Nonne praeceptor ille mediocris amore gloriae extimulatus dies noctesſque perpetes libris impalleſcendo eam ſibi doctrinae copiam comparare conabitur, qua ſibi opus eſſe videt, ut doctrinae tantum diſcipulis praebere valeat, quantum ipſi accipere idonei ſunt ac parati? Nonne vehementer cupiet, diſcipulos illos tam in ſtudendo acres, ſeduloſque, tanta ornatos doctrina e ſuo auditorio dimittere, ut magnam nominis famam ex eis conſequatur, & in diſcipulorum doctrina commendetur doctrina praeceptoris? Hinc eſt in ea opinione fuiſſe nonnullos ſapientes viros, non raro profuiſſe magis diſcipulis mediocrem praeceptorem, qui ſolers, & accuratus ex diſcipulorum progreſſu gloriam quaerat, quam viros doctrina praecellentes, qui cum ſatis iam gloriae ſuae conſultum putent, non multum laborant, ut aliquid ſibi laudis ex diſcipulis a ſe probe inſtitutis proveniat. Quanto incitamento, ut ad celſiorem doctrinae gradum proveherentur, fuiſſe putatis praeceptoribus ſuis Cotelerium, & Taſ-

Taſſum, quorum unus ſex annos natus Latine ſciviſſe fertur, alter vero Graece annos natus duodecim? Quanto Ioſephum Scaligerum, qui valde adoleſcens Tragoediam illam compoſuit, cui nomen Oedipus? Quanto Hugonem Grotium, qui parva aetate Marcianum Cappellam nobiliſſimum ſcriptorem multis mendis purgavit, & doctis annotationibus illuſtravit? Quanto Ioannem Barclaium, qui nondum adoleſcentia egreſſus ſcripſit Euphormionem? Quanto tres illos fratres Andream, Iacobum, Petrumque e familia Canteria, qui, ut ſcribit Henricus Cornelius Arippa, decennes erant eruditiſſimi? Quanto Picum Mirandulanum, qui viginti annos natus praeter linguarum Latinae, Graecae, Hebraeae, Chaldaicae, Arabicaeque cognitionem tam multa, ac fere omnia ſcivit, ut Romae profiteri potuerit diſputare adverſus praeſtantiſſimos viros e diverſis mundi regionibus aere ſuo arceſſitos de re quavis, quae ad Platonicam, Peripateticam, Chaldaeam, Hebraeamque tam divinam, quam humanam ſapientiam pertineret iuxta cuiuſcumque ſectae & hominum diverſas opiniones, ſuamque propriam ſententiam? Profecto, auditores, non aberrabitis a vero, ſi eos omnes, alioſque ingenio, & diligentia eis conſimiles diſcipulos arbitremini acerrimos magiſtris ſuis addidiſſe ſtimulos, ut fierent longe doctiores, quam ſublata eorum inſtituendorum occaſione fuiſſent; cumque omnes non uſi fuerint praeceptoribus praeſtantiſſimis, ſed plerique eorum etiam

me-

mediocribus, effeciſſe tamen, ut ex mediocritate aſſurgerent, & ad ſummum doctrinae culmen, ſeu pertingerent, ſeu propius accederent. Non facile dictu eſt, auditores, quantum exaugeatur ſtudium, atque induſtria in iis, qui aliquod miniſterium obeunt, quoties opus ſuum feliciter progredi videant; nec inanem laborem ſe ſuſcipere, nec operam ludere. Equidem, ut de me fatear, quoties diſcipulos ex ſententia nactus ſum, qui ferventiore in literas ſtudio ferrentur, & quorum capita, ut de Servio Tullo adoleſcente memoriae proditum eſt, flammis ardere viderentur, deſiderio videlicet doctrinae, ac ſapientiae, nulli labori peperci, me ipſum acriter extimulavi, me ipſum ad probe illos erudiendos, quantum potui, idoneum reddidi, meamque inde in re literaria tenuitatem aliquantum in maius provectam eſſe cognovi. Non pudet palam in hac luce, & lectiſſimorum virorum corona dicere, me hanc meam quantulamcumque in Graecis literis facultatem non parum quibuſdam diſcipulis diligentibus debere, quibus cum valde iuvenis principio Graecam linguam coepiſſem tradere, quoniam in illud ſtudium toto pectore incumbebant, neque teſtudinum ritu lente progrediebantur, ſed gigantum inſtar, ut Plautine loquar, *grandiores grandibant gradus*, pro eo ut ipſos urgerem, me ab ipſis urgeri ſentiebam, ut auctoribus, quos enarraturus eram, diuturniorem operam, atque impenſiorem darem, quo eorum ſenſum probe intelligerem, ac ſibi dilucide ex-

ponerem. Ipſoſmet teſtes appello, quorum aliis totum Homerum duobus circiter annis verbo tenus ſum interpretatus, aliis uno anno paene totum Iſocratem, aliis non exiguam brevi tempore Demoſthenis partem, aliis Odas Pindari, aliis Ariſtophanis Comoedias, aliis alia, prout eorum ſive in Graeca cognitione proceſſus, ſive etiam voluntas poſtulabat. Ex qua re probe ſentio factum eſſe, ut alios docendo egomet permulta diſcerem, quae neceſſitate illa non adactus forſitan non didiciſſem. Verum ne aliquibus obſcuro exemplo meo ambitioſe uti videar, quo comprobem non paucos magiſtrorum excitatos diſcipulorum ſtudio, ac ſolertia magnum in doctrina incrementum accepiſſe, atque emerſiſſe e tenui mediocritate ſua, in qua forſitan adhuc ipſe verſor, & iaceo, aliud afferam exemplum, tanto praeclarius meo, quanto aurum praecellit plumbo, & tenebris lux. Hoc autem in Politiano illo vobis conſiderandum propono, auditores, qui tanta in literis tum Latinis, tum Graecis praeſtantia fuit, elegantia tanta, ac profunditate, ut omnes ſui temporis doctiſſimos viros ſive aequarit, ſive ſuperarit. Anne vero futurum exiſtimatis, ut tam ſublimem in Graeca praeſertim cognitione gradum obtineret, in qua mirifice tum intelligendo ſcriptores, tum Graece ſcribendo nativo illo Attico lepore eminuit, niſi Graecarum literarum publice docendarum in hac urbe provincia ſibi demandata magnus nobiliſſimorum adoleſcentium confluxus,

quos

quos ingenium, ac ſedulitas commendabat, illum compuliſſet, ut Graecos auctores diligentiſſime evolveret, attentiuſque perſcrutaretur, qui ſibi & domi privatim interpretandi, & publicis praelectionibus illuſtrandi eſſent. Profecto ipſemet de ſe ingenue teſtatus eſt tot inſigniſſimos iuvenes, qui ex eius Schola, tamquam ex equo Troiano in Graecis literis verſatiſſimi prodiere, multum ſibi adiumenti attuliſſe ad Graecam ſapientiam intime pervadendam. Quamobrem ſi officio illo non eſſet perfunctus, neque in bonos ſtudioſoſque auditores incidiſſet, minime vereor affirmare, quod longe minus Graeca eruditione praeſtantem Politianum habuiſſemus. Adeo verum eſt, diligentia, ac ſtudio optimorum diſcipulorum magiſtros vel mediocres, vel non ſtatim a principio adeo praeſtantes ad ſummum doctrinae faſtigium urgeri, aliquando etiam extolli. Iam vero reputare vobiſcum mihi videmini, adoleſcentes, me hodierna luce noſtram magiſtrorum egiſſe cauſſam; erratis egi veſtram. Si namque id, quo omnis oratio mea collimat, a vobis impetravero, ut nempe diligentiores deinceps ſitis tum ardenti ſtudio, tum aſſiduitate, in veſtris audiendis praeceptoribus non amplius in iis ad bene cumulateque vos inſtituendos, ſolertiam, benevolentiam, praeſtantiam deſiderabitis. Ex quo fiet, ut probe ab ipſis eruditi literas facile conſequamini, & cum literis nominis immortalitatem. Plerique veſtrum gloriam literarum appetunt, ſed laborem refugiunt. Ma-

giſtros optimos, ac praeclariſſimos ſibi expetunt; ſed magiſtrorum interim virtutem ſocordia ſua conterunt, infringunt animum, adeo ut ii, qui praeſtantes ſunt, langueant; ii vero, qui mediocres, in doctrina non creſcant. In vobis ſitum eſt, adoleſcentes, tales habere magiſtros, quales vultis. Quo enim erga illos maiori diligentia utemini atque attentione, eo ad vos erudiendos habebitis inſtructiores, ac benevolentiores. Macti igitur virtute, Florentini eſte, & quandoquidem vivida, & acerrima ingenia, qualia caelum hoc ferme gignit, ſortiti eſtis, ne otio, ignavia, praviſque voluptatibus praeſtantiſſimam veſtram indolem corrumpi ſinite. Quod ſi ſtudium, laborem, diligentiam, quam vobis hactenus inculcavi, complectamini, quales, quantoſque fructus, Deus immortalis, ex veſtro mentis acumine patriae huic non polliceantur praeceptores, qui vos erudiunt? Solertiſſimum adoleſcentem Hermogenem parva adhuc aetate ad Marcum Antoninum adducens Antiochus Sophiſta, *En tibi Imperator*, ait, *oratorem qui annos expectat*. Ad eumdem plane modum veſtri praeceptores multos veſtrum, ſi quemadmodum excellunt ingenio, ita excellerent diligentia, ac diſcendi aviditate, huic patriae digito commonſtrantes, en tibi, Florentia, dicere poſſent, alios Victorios, alios Caſas, alios Salvinios, alios Averanios, qui annos expectant. Quid ni igitur amore gloriae accendimini, optimi adoleſcentes, & innatam generi veſtro ſolertiam,

atque

atque induſtriam exacuitis, ut patriam etiam vos, quemadmodum illi fecerunt, doctrina veſtra illuminetis? Quoniam vero virorum illorum praeclariſſimorum recordatione ad ſedulitatem vobis dignam vos provocavi, illud quaeſo animadvertite tam celſum in doctrina gradum eos obtinuiſſe, tantamque per eos gloriae acceſſionem Urbi noſtrae factam eſſe, quod literis maxime Graecis floruerunt. Quid igitur adhuc cunctamini, quid non aliquando ſtatuitis Graecum ſtudium nullo pacto vobis eſſe praetereundum? Ignoſcite iuvenes, ſi ſaepius ex hoc loco eamdem, ac bene veterem vobis cantionem recino; nimis ſiquidem neceſſariam vobis eſſe video Graecae linguae cognitionem, ad qualemcumque doctrinam, ac facultatem cum laude profitendam. Quamobrem tundendo, atque odio efficiam, ut qui praeſertim ſingulari quadam ingenii ſublimitate in vobis eminent, in id ſtudium ſeſe conferant, & manibus (quod aiunt) pedibuſque illud ſibi arripiendum putent. Cum ad Marathonem Perſae fuſi ſunt a Graecis, narrat Iuſtinus Cinegirum Athenienſem militem cuidam hoſtium fugitivorum navi adrepentem, eamque ſiſtere conantem, prius dextera manu fuiſſe obtruncatum, mox ſiniſtra, mancum utraque manu dentibus apprehendiſſe; tanta incendebatur cupidine eius navis potiundae. O ſi ſciretis, iuvenes, quanto melioribus opibus onuſtam navim, dum per aetatem vobis adhuc licet, apprehendere vos cohortor, probe ſcio, non minus milite illo

illo fore vos ſolicitos, ne vobis elabatur. Age vero peculiarem illam facultatem, ac doctrinam, ad quam ſingulos ſuum ingenium, & voluntas excitat, qua maxima poteſtis diligentia conſectamini, ſed ſimul in Graecae linguae ſtudium diligenter incumbite, quod profecto, ſi me audire vultis, commode praeſtari poteſt, nullaque animi divulſione ab eius facultatis ſtudio, quam ex profeſſo diſcere propoſuiſtis. Pudeat iuvenes, in hac urbe, altera poſt Athenas doctrinarum matre, ingeniis tam eximiis inſtructos, magiſtros non ignobiles paratos habentes, magnas in literis non facere progreſſiones.

ORA-

ORATIO III.

Profanarum literarum ſtudioſis neceſſariam eſſe ſacram doctrinam, contraque ſacrae doctrinae cultoribus neceſſarias eſſe profanas literas.

INter multas, quibus hominum genus conflictatur, aerumnas, eam longe maximam eſſe cenſeo, quod humana mens corpori immixta tot errorum ambagibus implicatur, ut veritatem, cuius capax eſt, atque avidiſſima, raro admodum nanciſcatur. Quamobrem dictum Pythagoreorum vehementer laudo quaſi animi mortem deſcenſum eius in carcerem corporeum vocitantium, eo quod dum corpori immergitur, inſcitiae tenebris obvolvatur, ac veluti ſepeliatur. Ubi vero moritur homo, mori animal dictitabant, corpus videlicet, quod anima vivit; mortem autem ipſam exitum animi de ſepulcro ad vitam, & ad purae lucis intuitum praedicabant. Quae dum ita diſſererent, ſatis apte mihi declaraſſe videntur miſeram mortalium conditionem, qua multis erroribus, ac fallaciis vivunt obnoxii. Quamquam vero error quilibet officiat homini, minus tamen nocet, ſi qualis eſt agnoſcas, ab eo ſiquidem cavere facile poſſis. At dum virtutis ſpecie te decipit, &

in

Digitized by Google

in eo ipſo, quo hallucinaris, te recte videre iudicas, tum demum gravior eſt error, ac perniciosior. Id autem tum in aliis vitae inſtitutis, tum in ſtudiis doctrinarum exequendis miſelli patiuntur homines. Complures namque ſunt, qui quamvis a recta ſtudiorum ſemita deflectant, ſibi tamen ſapiunt, ac placent, optimeque ſe facere arbitrantur. Ut ceteros de hac re ſileam errores, mecum illum animadvertite, auditores, qui tenet multos. Alii ſiquidem, qui in profanarum literarum ſtudio verſantur, ſtudium doctrinae ſacrae ſibi ducunt inutile: alii contra, qui ſacram conſectantur doctrinam, profanas literas, ut meras nugas reiiciunt, & contemnunt. Horum quempiam ipſemet offendi, qui ardore incredibili in ſacra ſtudia incitatus (ut pote qui ſacri ordinis hominibus accenſeretur) non ſolum profanas diſciplinas nihil ad ſe pertinere exiſtimabat, ſed religioni ſibi ducebat, ſi ad profanos ſcriptores, quos omnes impuros habebat, vel tantillum ſe conferret. Quantum potui, ſolerti iuvenem ingenio ab errore divellere multis argumentis conatus ſum, ſed operam luſi; non enim ab opinione ſua pellere, aut movere valui, conturbante veri cognitionem quadam mentis pervicacia obſirmatiſſima. Itaque cum verear, ne huiuſmodi falſa opinio alios iuvenes ſimiliter occupet, conſultum fore putavi, ſi ex hoc loco illam publice oppugnarem, oſtenderemque & profanarum literarum ſtudioſis neceſſariam eſſe ſacram doctrinam,

con-

contraque ſacrae doctrinae cultoribus neceſſarias eſſe profanas literas. Quae duo dum breviter exequor, utriuſque ordinis ſtudioſos iuvenes, profani ſcilicet, & ſacri mea compellat oratio, maxime vero te venerabunda compellat, praeclariſſime Moderator, qui ampliſſimo munere, quod geris, progreſſum ſtudioſorum adoleſcentium in utraque doctrina pro viribus, ac ſapientia tua, curare debes, cum & in Piſano, & in hoc Florentino Lyceo ditioni tuae ſubiecta habeas Profeſſorum collegia ad facultates tum ſacras, tum profanas tradendas publica mercede conductorum. Quidquid vero ad id demonſtrandum, quod propoſuimus ſumus allaturi, docilioribus auribus, optimi iuvenes, vos excepturos confidimus, neque opinioſiſſimo illi iuveni, de quo mox narrabamus, fore conſimiles, ſed bonis, quas afferemus, rationibus expenſis, in noſtram ſententiam facile ituros. Quod ſi qui ſapientiorum ad honorem, exiſtimationemque mihi dicenti conciliandam hoc in coetu inclyto conſidentium, antequam rem probare aggredior, iam penes ſe pro certa habeant, & comperta, adeo ut neceſſe non ſit, ut ſibi multo opere ſuadeatur, meminerint quaeſo, nos inſtitutionem profeſſos non ſolum ſcientibus, ut aiebat Fabius, ſed etiam diſcentibus iſta tradere, adeoque paulo pluribus verbis dandam eſſe veniam. Quae enim tironibus ſcitu ſunt neceſſaria, non ideo omittenda publico praeceptori, quod provectiores in doctrina ea ſciant; ſed hi aequo animo ferre debent,

ut rudiores, atque imperiti in iis erudiantur, quae ipſi iam didicerunt.

Caput ſacrae doctrinae divinum eſſe Codicem nemo unquam erit, qui poſſit ambigere; ſi quis autem humanam quoque, ac profanam ſapientiam ex eo profluxiſſe contendat, non aberrabit a vero. Quidquid enim boni, ſive poëtae, ſive philoſophi unquam pertractarunt, illinc ferme ab eis acceptum eſſe liquet. Duos tantum afferam veritatis huiuſce teſtes Homerum, & Platonem. Alter enim princeps eſt poëtarum omnium ſeculorum, philoſophorum alter. Sane vel lippo notum quantum uterque ex ſapientia divini Codicis hauſerit. Quamquam enim eruditi homines dubitent, an Homerus, & Plato divinum Codicem evolverint; certum tamen eſt eam doctrinam ipſos nequaquam latuiſſe, ſive ab Aegyptiis, & Chaldaeis, penes quos pervulgata erat, illam acceperint, ſive ipſimet literis traditam legerint. Iuſtinus quidem cum Graecos ad Chriſtianam religionem amplectendam cohortaretur, oſtendit Homerum, & Platonem omnia bona ſua a Moyſe fuiſſe mutuatos. Libri ſiquidem Moyſis antiquiſſimi ſunt ex omnibus, qui in vulgus editi quavis aetate ſunt. Neque vero putate unum Iuſtinum ita ſenſiſſe; eadem ceterorum quoque Patrum Graecorum, & Latinorum fere omnium ſententia eſt; quorum dicta, ne prolixius orationem trahamus, conſulto omittenda cenſuimus. Equidem fateor Homerum, & Platonem veram doctrinam divini Codicis plerumque corrupiſſe (nam,

teſte

teſte Tertulliano, omnia falſa adverſus veritatem de ipſa veritate conſtructa ſunt) ad fabulas traduxiſſe, multiſque erroribus inquinaſſe, ut ſi quis bonum unguentum coeno commiſceat; ſive quod divini luminis face deſtituti ſunt, qua ſibi vera Religionis, morumque decreta clareſcerent, ſive quod popularium ſuorum auribus lenocinari, patriaeque ſuperſtitionis erroribus ſcripta ſua conformare maluerunt; quod maxime de Platone idem Iuſtinus affirmavit; ait enim illum in libris ſuis caviſſe, ne Socratis praeceptoris ſui veriora, ac ſanctiora dogmata tradentis poenam ſubiret; ſed ex hoc ipſo profanae doctrinae ſtudioſis neceſſarias eſſe ſacras literas praedicamus, ut cognoſcant, unde profani ſcriptores, ad quorum ſapientiam aſpirant, illam acceperint, & qua ratione acceptam transformaverint. Hanc enim cognitionem non ultimam eſſe doctrinae illius partem, nemo eorum bono iure inficiabitur. Sane Duportus Anglus, Grotius, aliique, & nos ipſi in noſtris Homericis Diſſertationibus ſententias Homeri quamplurimas ſententiis divini Codicis ſimillimas paſſim attulimus, ut ſaepe videatur eodem ſtylo, iiſdemque paene verbis dicta ſua vates ille ſapientiſſimus concinnaſſe. Quot vero priſcos mores, quot vetera inſtituta apud Homerum legas, quae auctoritate Moyſis probe confirmantur; quandoquidem & ipſe conſimilia in ſuis libris prorſus exhibet iis, quae Homerus recenſet? ita ut Moyſis libri multum afferant lucis Homero intelligendo: & Homerus viciſſim

libris Moyſis. Iam vero poëtam eximium fieri
vix aliquem poſſe, niſi divinos Prophetas attente
legerit oeſtro pleniſſimos, Bellinius ille noſter ne-
mini antiquorum ſecundus, affirmabat. Quid no-
vi Foederis Volumina? Nonne & ipſa ad profa-
nam ſapientiam plurimum facere videantur? An-
guſti orationis cancelli, quibus coarctor, non
me ſinunt, auditores, de ſingulis novi Foederis
ſcriptoribus verba facere, evidenterque oſtende-
re, quantam ab unoquoque ſapientiam profana-
rum literarum ſtudioſus ſibi aptam, convenien-
temque conquirere poſſit, ac debeat; quod ſi
facere praetermittat, mancam certe doctrinam
poſſideat, & imperfectam neceſſe ſit. Dicam de
uno Paulo, in quo tantam ſapientiam, eloquen-
tiam tantam agnoviſſe perhibetur Longinus ae-
ſtimator ille oratoriae facultatis longe acerri-
mus, ut inter Lyſiam, ac Demoſthenem illum
nominare non dubitaverit, praeſidem vocans eius
dogmatis, quod oſtendi non valet, *προϊστάμενον
τοῦ δόγματος ἀναποδείκτου*, quo verbo arcanae fidei
noſtrae ſanctiſſima decreta innuere viſus eſt,
quae omnem humanam rationem vincunt, exſu-
perantque. Quoniam autem novi Teſtamenti Li-
bros ſermo noſter attigit, nequaquam dicere
omittam, quod praeter graviſſimas allatas ratio-
nes, quae ad illos perlegendum ſtudioſos ado-
leſcentes acuunt, eſt alia etiam non levis mo-
menti obſervatio, quam Gregorius Magnus Theo-
doro Medico inculcat, ubi eum quotidie ad le-
gendas divinas Scripturas, maxime vero Libros
novi

novi Foederis invitat. Eam autem vobis etiam a me ſuggerendam eſſe cenſui, optimi iuvenes. Quemadmodum enim inde conficitur turpe eſſe, atque indecorum viro illi medico, & profanis literis addicto divinos libros non evolvere; ſic eamdem turpitudinis notam ceteris etiam literarum profanarum ſtudioſis, qui ſimiliter ab ea lectione abſtinent, conſtat inuri. Ait ergo Gregorius (*l.* 4. *ep.* 40.) divinos libros veluti epiſtolam eſſe Omnipotentis Dei, quam ad homines a ſe conditos miſit. Ex quo hanc adverſus medicum illum acrem elicit increpationem: ***Summus hominum, atque Angelorum Rex pro vita tua tibi ſuas epiſtolas tranſmiſit, tuque eas epiſtolas, glorioſe fili, ardenter legere negligis?*** Ad eumdem ferme modum, ego vos increpabo, atque extimulabo, ſtudioſiſſimi iuvenes. Servorum epiſtolas legitis (ita doctorum virorum volumina nobis tradita hoc loco appellare mihi liceat) iisque diu, noctuque inhaeretis; epiſtolas vero Regis ad vos ipſos ſcriptas pro veſtra felicitate, ac ſalute, divinos videlicet libros ſolidae, veraeque ſapientiae pleniſſimos, qui veſtram praecipuam curam, ac ſtudium poſtulant, legere ſive gravamini, ſive parvipenditis? Videtis, adoleſcentes, quam acriter ſtudioſos omnes, qui Chriſto Regi nomen dederunt, ratio haec urgeat, impellatque? Quod ſi modo ad ſanctorum Patrum tam Graecorum, quam Latinorum ſapientiam, eloquentiamque depraedicandam gradum faciam, vix ullum dicendi finem inveniet

ora-

oratio. Anne quiſpiam vere doctus, vere literatus eſſe valeat, qui Clementis Alexandrini inſignia illa volumina, quae Stromatum nomine circumferuntur, non evolverit, penuque illud omnis tum divinae, tum humanae eruditionis pleniſſimum non excuſſerit? Quid de Baſilio illo Magno, quid de duobus Gregoriis Nazianzeno, ac Nyſſeno, quid de Chryſoſtomo ex Graecis; de Auguſtino, Hieronymo, Ambroſio ex Latinis dicam? Quales, quantoſque, Deus immortalis, omnigenae doctrinae theſauros in ipſis reperire licet? quantam rerum ſelectiſſimarum, atque e media philoſophia deſumptarum ſegetem? quam uberem dicendi copiam? Complures profecto hominum doctiſſimorum, atque in diiudicanda re literaria ſubtiliſſimorum inſignem quorumdam Chriſtianorum Patrum praeſertim Graecorum eloquentiam tam praeclaro, ac magnifico iudicio extulerunt, ut qui eam non deguſtaverit, ſacraeque lectioni non aſſueverit, cum aliqua ſermonis exuperantia eos locutos eſſe forſitan credat. Quamvis autem non omnimodam dictionis elegantiam pleriſque Patrum Latinorum adeſſe ultro fateamur (quandoquidem Latinam linguam, qualibus temporibus ipſi floruerunt, multa iam barbaries foedaverat, cum contra huiuſmodi ſermonis elegantia neutiquam in Patribus Graecis deſideretur, diutius Graeci ſermonis nativo lepore retento) eloquentia tamen Latinos quoque Patres non caruiſſe dicendum eſt. Quis enim ex vobis adeo in literis tiro eſt, ut eloquentiam,

atque

atque elocutionem diverſa plane ſignificatione accipi neſciat, ita ut una tibi adeſſe poſſit; etſi altera abſit? Eloquentiam dignitas rerum, conveniens dicendi genus, bonus, ac lucidus ordo, aptus nexus, ſapiens denique iudicium conſtituit; elocutionis vero elegantiam verborum nitor, & concinnitas. Quod & ipſum Tullium indicaſſe putamus, qui eloquentem maxime a diſerto differre tradit. Diſertus enim videtur eſſe ille, qui mentis ſuae cogitata elegantibus verbis, nitidaque oratione eloqui valet, atque explicare; eloquens vero, qui ſive prorſus polita, ſive minus compta oratione utatur, copia tamen verborum, ac ſententiarum inſignis eſt, omneſque omnium rerum, quae ad dicendum pertinent, fontes animo, ac memoria retinet. Quos fontes cum penes ſe habuerint Latini Patres, & graviter, atque copioſe, quae literis tradiderint, expoſuerint, eloquentes fuiſſe conſtat etſi non omnes fuerint diſerti, videlicet eleganti omnino, lautaque oratione inſtructi. Patres vero Graeci quod & doctrinam omnem, omnemque elegantiam poſſederunt, utramque laudem promeriti ſunt. Quae cum ita ſint, nonne veritatis viribus compulſi, auditores, mecum una ſentietis a divina utriuſque Foederis doctrina, ſanctorumque Patrum ſtudio non utique abſtinere poſſe eum, qui vel in ipſis profanis literis velit excellere? Hanc probe ſacrarum literarum neceſſitatem ſapientiſſimi quique perviderunt, eaſque omnino humanis doctrinis tan-

tanquam fundamentum eſſe ſubſternendas verbo, & exemplo docuerunt. Quid Bochartos nominem, quid Grotios, quid Scaligeros, quid Eraſmos, Clericos, Spanhemios, ſexcentoſque alios in humanae literaturae facultatibus eminentiſſimos, qui ſe ſe exercere in ſacrarum literarum ſtudio nunquam deſtiterunt? Quos ideo data opera recenſuimus, quia ſi pravis de religione Chriſti opinionibus fere omnes imbuti, & haereſeon veneno infecti, tanti nihilominus ſacram doctrinam tum in divino Codice, tum in ſanctorum Patrum voluminibus traditam aeſtimarunt, ut ſine illa nullam eſſe eruditionem arbitrari viſi ſint: quid nobis faciendum, qui divino beneficio veram, ac genuinam Chriſti fidem profitemur, ac tuemur? Nonne igitur exemplis hiſce propoſitis quilibet noſtrum humanarum doctrinarum ſtudioſus, ſi ſacram doctrinam negligit, vel parvi pendit, nihilque ſibi in eius ſtudium incumbendum putat, non ſolum potiori ſapientiae parte ſe deſtitui, ſed probrum quoque longe maximum ſubire ſentiat? Non me latet eſſe aliquos, qui humana ſapientia tumidi, in quas plus profitentur ſe ſapere, quam ſapiunt, nimis confidenter, adeoque temere ſacram doctrinam literato homini ducunt inutilem, quam ad ſolos ſacri ordinis homines amandant, iactitantque pro ſe facere Politianum, qui non unus e multis, ſed cum paucis potius eſt comparandus, & in omni paene facultate, ac potiſſimum in ſcri-

bendo

bendo ſuae princeps aetatis. Hunc ſiquidem literatiſſimum virum, auctoritate freti Ludovici Vivis, & Philippi Mornaei, a ſacris dicunt literis abhorruiſſe, lectoque ſemel ſacro Codice affirmaſſe, quod ſe eius lectionis poeniteret, utpote quae mera ſibi fuerit temporis iactura. Quid autem ſi hanc fabulam tanquam veram hiſtoriam admitterem? Anne unus Politianus tanti ſit, ut tot aliorum ſapientiſſimorum virorum judicium, qui contra ſenſerunt, elidat? Verum quo idoneo teſte, bone Vives, tuque Mornaee, id confirmetis, cum ipſemet Politianus de ſe ſcribat ſolemnis quadraginta dierum ieiunii tempore ſe publice populo ſacras literas enarraſſe? Apagete ergo cum hac veſtra in tantum virum contumelioſa fabella, quae ſtudioſis iuvenibus offendiculo eſſe poſſit, quominus ſacram doctrinam omni literaturae neceſſariam percurrant. Quapropter hoc exemplo uti non licet ad culpam ſuam tuendam ſtudioſis hominibus, ſi qui ſunt apud nos a ſtudio ſacrae doctrinae alieni. Pudeat potius ſibi opprobrari huiuſmodi vitium ab homine haeretico Conrado Dinnero, qui multos ex Italia praeſertim literatos perſtringit acribus, ac virulentis epigrammatis ſui verſiculis κοσμοματαιοσόφους, βιβλοθεουφυγάδας, eos appellans, videlicet vanae huius mundi ſapientiae amatores, ac divinorum voluminum oſores. Quod felix ergo, fauſtumque ſit, agite, quotquot adeſtis iuvenes doctrinarum ſtudio flagrantes, ſacras literas longe pluris, quam

profanas faciendas, eaſque neceſſario vobis expetendas putate. Ne contenti eſtote noctuarum inſtar ſtellarum ſolummodo debili lumine; in ſtrenua ſolis luce ut generoſae aquilae oculos defigite. Quid verbo hocce velim, ipſimet probe percipitis. Stellas voco huius mundi ſcriptores, qui lumen debile, foediſque aliquando errorum tenebris inquinatum emittunt; Solem vero divinum Spiritum, qui in ſacris Codicibus puriſſimos lucis ſuae radios ad nos colluſtrandos diffundit.

Sed iam ad vos ſe vertit oratio, ſacri ordinis iuvenes, ſi qui falſa opinione ducti in ſolis literis ſacris vos eſſe occupandos arbitramini, profana doctrina, utpote futili, ſive etiam pernicioſa omnino reiecta. Verum, o boni, ſi talis ſit, qualem animo confingitis, cur tantopere eam expetebant duo illi ſanctiſſimi iuvenes, in quos tanquam abſolutiſſima & doctrinae, & probitatis exemplaria intueri deberet ſtudioſus quiſque Chriſtianus iuvenis, Baſilius inquam Magnus, & Gregorius Nazianzenus in priore etiam orationis parte cum laude recenſiti? Hi enim cum ab adoleſcentia in Athenienſi Lyceo una viverent coniunctiſſime (optimae indolis, morumque ſuaviſſimorum omnimoda ſimilitudine animos inter ſe conciliante, ac veluti conglutinante) profana quaevis ſtudia, praeclaraſque omnes ab Ethnicis traditas facultates putaverunt ſibi eſſe conſectandas. Quos poëtas, quos philoſophos, quos oratores non evolverunt?

runt ? Nihil ferme eos latuit , quod ſcriptores Ethnici in ſuis voluminibus pertractarunt . Sane philoſophiam , geometriam , muſicen , poëticen , eloquentiam ita ab Ethnicis magiſtris expetiverunt , & ad ſe tranſmoverunt , ut ſingulas earum facultatum profiteri poſſent , ſi libuiſſet . Ea autem omnia a profana ſapientia mutuati ſunt , ut bonum in uſum converterent , atque ex eis , quemadmodum fecerunt Hebraei multa vaſorum ſupellectile ab Aegyptiis accepta , Dei tabernaculum exſtruerent . At tenebrae ſunt , inquitis , Ethnicorum ſcripta cum divinis literis comparata . Stultum autem eſt amare tenebras , ubi purae lucis uſura frui poſſis . Eſto tenebrae ſint ; tamen inter has tenebras quam pretioſae veritatis ſcintillae identidem interlucent ? quas colligere ſi ſanctiſſimi illi duo adoleſcentes ſacris literis caeteroquin addictiſſimi utiliſſimum exiſtimaverunt , nonne vos peſſimo iudicio ut rem inutilem lancinatis ? Neque credite , quoniam illos duos ſolummodo nominavi , de ceteris idem non eſſe dicendum . Quotquot ſunt Patres Graeci , & Latini in ſacra doctrina principes , profanis quoque literis eruditiſſimos fuiſſe liquet . Quam rem ſi quis inficiari audeat , mentitur ampliter , ſeque aut in eorum lectione nunquam verſatum eſſe oſtendit , aut qualis eorum ſapientia ſit perſpicere non valuiſſe . Eſt igitur in Ethnicorum philoſophia , quae furto ſurrepta eſt veluti a Prometheo , aliquantum ignis aptum ad lumen , ſi utiliter excitetur , & veſti-

gium aliquod ſapientiae, & motus a Deo, ut luculenter Clemens Alexandrinus teſtatur: (*Strom. l.* 1.) qui rem acutius adhuc diſpiciens, ad hunc ferme modum diſſerit. Si Ethnicos ſcriptores caſu aliquid dicas rectae ſapientiae eſſe elocutos, ac praefixum ſcopum aſſecutos; ille caſus, atque illa aſſecutio divini conſilii expers non eſt. Sive dicas eos naturalem habuiſſe notionem, unum naturae cognoſce Opificem, qua ratione eſſe quoque naturalem dicimus iuſtitiam; ſive mentem habuiſſe communem, quiſnam ſit eius pater, & dator animadverte. Singulare ſiquidem donum eſt ab Optimo Numine impertitum homini mens, quam aliquando cuicumque velit tanto acumine inſignitam, tantaque ſolertia diſtinctam elargitur, ut ſive naturae opera intime pervadere, ſive de morum ſanctitate ſapientiſſime diſputare, ſive in laudatiſſimis quibuſlibet facultatibus progreſſiones facere longe maximas poſſit. Anne ergo flagitioſum non ſit ſacrae doctrinae ſtudioſo donum hoc in Ethnicis contemnere, mirabileſque inde enatos ſapientiae fructus floccipendere, qui non parum ſacram doctrinam adiuvant, exornant, amplificantque? Sed multa, inquis, paſſim habent profani ſcriptores falſa, multa etiam pernicioſa, quare conſultiſſimum eſt ab eis cavere. Optime quidem doces a falſis, damnoſiſque doctrinis cavendum eſſe Chriſtiano homini, quas Ethnici, profanique ſcriptores modo palam, modo latenter inſinuant. Verumtamen furioſum eſt tales

les doctrinas cenſura configere, ac damnare, niſi prius expenderis, ac ſigillatim, ut vult Clemens Alexandrinus, ad eas aperiendas deſcenderis uſque ad cognitionem. Eſt enim vel maxime digna probatio, quae cum experientia coniungitur, ac perfectiſſima invenitur demonſtratio, eorum, quae ſunt damnata, cognitio. Et hac ſane de cauſa duo illi ſanctitate, & doctrina celeberrimi iuvenes, quos ſaepius memoravi tum ad fidem orationi meae faciendam, tum ad eorum imitationem ſtudioſis adoleſcentibus commendandam, quaevis ſive bona, ſive mala ſcriptores Ethnici in libris ſuis pertractarunt, ſedulo per ſe ipſos cognoſcere voluiſſe dicuntur, bona, ut amplecterentur; mala, ut refugerent, aliiſque quoque refugienda non ſolum exemplo ſuo, ſed & validiſſimis rationibus demonſtrarent. Quapropter latam legem ab impio, ac perduelle imperatore Iuliano, ne in Chriſtianis Scholis Ethnicorum volumina praelegerentur, ſolis utriuſque Foederis codicibus permiſſis, teterrimam fuiſſe Chriſtianorum inſectationem una omnium Sanctorum Patrum ſententia eſt. Quod enim non poſſent, qui literis darent operam, & ad ſapientiam contenderent, ex bona Ethnicorum doctrina neceſſaria multa ad ſuum profectum condiſcere, ex falſa vero errores ad eos refutandos agnoſcere, in perniciem longe maximam cedebat Chriſtianae reipublicae. A qua tamen pernicie Dei Optimi Maximi beneficio, ubi imperator ille nefarius

fato

fato conceſſit, erepta eſt. Ex quibus omnibus plane liquet beatum Salomonis verbis appellandum eſſe illum, qui pro dextra utraque manu utitur, doctrina nimirum ſacra ac profana; ex his enim veluti duabus partibus una coaleſcit ſapientia, qua nihil aptius, atque accommodatius ad Dei gloriam amplificandam, ad proximorum ſalutem promovendam, & ad copioſam ſibimetipſi meritorum ſegetem colligendam; quandoquidem etiam Moyſes ille, quo Deus uti voluit adminiſtro ad ſanctiſſimae religionis leges populo ſuo tradendas, Aegyptiorum, & Chaldaeorum doctrinis apprime eruditus fuiſſe perhibetur. Ecquis adhuc arbitretur profanarum literarum neceſſitate ſtudioſum quemque doctrinae ſacrae minime urgeri? Quamquam vero quae hucuſque diſputavimus, doctrinae ſacrae conſectatores quoſvis reſpiciant, eos tamen maxime attingunt, qui vel Theologiam profitentur, vel Evangelici praeconis munia obeunt. Hos enim omnes docet Chryſoſtomus eloquentiae, doctrinaeque praeſidiis debere eſſe apprime inſtructos; ac laudum quidem titillationem forti animo ab iis contemnendam, ſed tamen ſacram doctrinam eloquentiae ſale, ac gratia conditam exhibendam, ne a multis deſpicatui habeatur. Uno verbo impendi iubet ſanctiſſimus vir ingentem laborem, curamque ſacris concionibus, ac diſputationibus ad populum publice habendis. (*de Sacerd. l. 5.*) Nihilominus non pauci ſunt qui extimo doctrinae ſacrae cortice

vix

vix demorſo literas profanas, quas ne a limine quidem ſalutarunt, elato ſupercilio inutiles damnant, & quoniam ſunt infantiſſimi, & lutulento ſolum barbarae dictionis genere uti ſciunt, bene dicendi praecepta derident, & ipſas quoque Grammatices leges pro nihilo habent. Ut autem inſcitiae ſuae bonum colorem praetexant, & ob oculos imperitorum glaucoma obiiciant, ſe Apoſtolice ſive loqui, ſive concionari dictitant. Parcite, auditores, iuſte indignanti, ſi homines iſtos, ſe ſe Apoſtolis in dicendo comparantibus, nebulones longe maximos appello, quos ſapientia vacuos ſtulta quaedam opinio ſui inflat. Minus enim tenebrae abſunt a luce, plumbum ab auro, lutum a gemmis, quam ab Apoſtolis diſtent Apoſtolici iſti Theologi, & Concionatores. Ea eſt proprietas, ac gravitas dictionis Apoſtolicae non certe exquiſitis coloribus pigmentatae, ſed nativa quadam ſimplicitate inſtructae, ut divini Scriptores novi foederis, qui eam adhibuerunt, profanos ſcriptores eloquentiae pondere, ac virtutibus vincant, & longe a ſe relinquant. *Sincera enim & ſolida res eſt* (ut docet Auguſtinus) *nec fucatis eloquiis ambit ad animum, nec ullo linguae tectorio inane aliquid, ac pendulum crepitat.* (*Ep.* 1.) Parum ergo refert utrum Apoſtoli profanae dictionis elegantia, atque ornamentis caruerint, necne, cum longe nervoſius, ſublimius, atque ad permovendum validius dicendi genus caelitus ſibi obtigerit. Sane Apoſtolum Paulum habendarum

ad

ad populum concionum magiſtrum longe inclytum, de cuius divina eloquentia tam luculentum Longini teſtimonium ſuperius attulimus, contendit Chryſoſtomus (*de Sacerd. l.* 4. *c.* 7.) apud multas gentes non miraculis, ſed ſola dicendi vi inclaruiſſe; quamquam apud multas alias miracula etiam complura ediderit. Nequis autem exiſtimet dictum eſſe viri in Paulum nimium ſtudioſi, factis id probat manifeſtiſſimis. Unde enim, ait, Iudaeos eos, qui Damaſcum incolerent, confudit, ſignis, miraculis ab eo nondum coeptis? Unde Graecos ipſe quaſi luctando deiecit? Quamobrem autem Tarſum miſſus eſt? nonne id factum eſt, poſteaquam vi dicendi victor extitit, ſic ut cum victos ſe illi ferre non poſſent, ad illius caedem inflammati ferrentur? nondum enim miracula edere coeperat. Adverſus eos autem, qui Antiochiae Iudaiſmum ſequi coëpiſſent, quibus auxiliis pugnavit, diſputavitque? rurſus Areopagita ille ſuperſtitioſiſſimae urbis civis, nonne una cum uxore, audita tantum Pauli concione, eum ſecutus eſt? Quid vero Theſſalonicae, & Corinthi, quid Epheſi, & in ipſa Roma? nonne totos dies, totaſque noctes inſumpſit, dum divinas Scripturas ordine exponeret? Iam quorſum per cenſere opus eſt diſputationes eas, quas cum Epicureis, Stoicisque palam habuit? Nam ſi hic omnia referre velim, profecto noſter ſermo in magnam ſeſe longitudinem producet. Quamobrem, obſecro, Lycaones ipſum Mercurium eſſe

ſuſpi-

ſuſpicati ſunt? Nam quod Barnabam, ac Paulum Deos eſſe crederent, id a ſignis editis fiebat. Quod autem Paulum Mercurium eſſe vellent, id iam non a ſignis, ſed ab eloquentia naſcebatur. Hactenus ſapientiſſime more ſuo Chryſoſtomus. Quod ſi quis eloquentiam quoque Petri, ac ceterorum Apoſtolorum, quorum ſcripta ad nos devenerunt, recto iudicio expendere valeat, nullo quidem fuco ſimplicem illam inveniet, & candidam, ſed vehementem, acrem, ſublimem ſimul demirabitur, & tam bono ſucco imbutam ſentiet, ut ſe nunquam poſſe putet eam imitando exprimere, agnoſcetque vero iudicio de ſacris ſcriptoribus ſententiam hanc protuliſſe Auguſtinum: *Ubi ſacros ſcriptores intelligo, non ſolum nihil eis ſapientius, nihil eloquentius mihi videri poteſt, ſed & audeo dicere omnes, qui recte intelligunt, quod illi loquuntur, ſimul intelligere, non eos aliter loqui debuiſſe* (*l.* 4. *de Doctr. Chr.*) Quae tanta igitur eſt audacia, quae tanta temeritas homuncionum iſtorum, ut blaſphemiam hanc intaminatae Apoſtolicae eloquentiae maieſtati affricent, iactitentque, dum incondite, atque inſulſe concionantur, Apoſtolice ſe concionari? Anne pertendunt ſibi, ut Apoſtolis, eloquentiam divinitus afflari? Elleboro curandi ſint, ſi hoc putent, aut dicant. Studio, labore, atque induſtria bene dicendi facultatem ſibi compararent, neceſſe eſt, vetus prodigium illud ut pote nulla amplius neceſſitate requiſitum non am-

plius operante divino Numine. Magnum conſulant Auguſtinum, qui ubi de Chriſtiana Doctrina diſſerit (*l.* 4.) artis praecepta diſerte tradit, explicatque, quae addiſcere, atque excercere concionaturus ad populum diligenter debeat. Reſipiſcite igitur, ſi qui adhuc ſacri ordinis homines eo detinemini errore, ut cenſeatis nullo vos crimine aſtringi, quod illotis, ut aiunt, manibus divinas pertractetis doctrinas. Patrum exempla vos deterreant ſanctiſſimorum, quibus veluti confodimini, ac praedamnamini; ipſi namque ſive de Theologicis rebus diſſererent, ſive ad populum ſacras conciones haberent, erudite, atque eloquenter ſemper id praeſtiterunt, numquamque dictione inquinata, & ineptis, puerilibuſque, atque adeo ridiculis ſententiis ſacras res contemerarunt. Complures ſcio (quod maxime laetandum) e veſtro coetu ſtudioſos ad meliorem frugem ſe recepiſſe, divinaſque doctrinas ferme iam doctius pertractare, ac decentius; adhuc tamen multa curatura opus eſt, ut a morbo inſcitiae, & barbariei omnes, quotquot eſtis, ſanemini, omneſque fateamini, profanas facultates, profanamque eruditionem a ſacrae doctrinae ſtudioſis nequaquam eſſe negligendam.

Videtis iam, ornatiſſimi iuvenes, omnes plane, quotquot ad me audiendum acceſſiſtis, ſive ſacri, ſive profani ordinis eſtis (quod etiam monebam initio) mea oratione eſſe compellatos, in eaque, niſi amor mearum rerum mihi pectus obſcuravit, firmiſſimis rationibus id quod pro-

probandum ſuſceperamus, eſſe demonſtratum & iis, qui literas, quas Tertullianus ſeculares dixit, conſectantur neceſſariam eſſe ſacram doctrinam, & iis, qui ſacram doctrinam profiteri volunt neceſſarias eſſe literas ſeculares. Quamobrem nolite deinceps, quod multi faciunt, videntes, volenteſque errare, dum ſententiam illam, quam adamaverunt, licet falſam pugnaciſſime defendere malunt, quam ſine pertinacia id, quod verum oſtenditur, admittere. Ut enim neceſſe eſt lancem in libra ponderibus impoſitis, niſi aliqua vi impediatur, deprimi, ſic animum, niſi pervicacia obfirmetur, perſpicuis, veriſque cedere. Errorem illum, ſi animo forte inſederit, eiicite, quo putaſtis utramlibet doctrinam ſe ſola ſeorſum ab alia poſſe perfici. Neutram ab alterius ſocietate ſeiungi oportere, alteriuſque alteram poſcere opem rem, amiceque coniurare credite. Cumque haec ita ſe habeant, adhuc tamen ſanguinem, nervoſque omnis ſapientiae doctrinam eſſe ſacram in animum inducite, ut evanida, futilis, atque emortua quaelibet ſecularis doctrina ſine illa dici poſſit. Quandoquidem autem anniverſaria haec cohortatio ſapienti maiorum conſilio inſtituta eſt ad vos, optimi iuvenes, in ſapientiae ſtudium inflammandos, & qua ratione in eo ſtudio exercere voſmetipſos debeatis commonendos, optamus, ut quae vobis vere, ac peramanter inculcavimus, veſtris mentibus firmiter inhaereant, nullaque unquam oblivione deleantur. Narrat Pauſanias

ſanias graviſſimus auctor Callimachi lucernam auream Carpaſio lino inſtructam in Minervae templo Athenis fuiſſe poſitam, in eamque ſemel infuſo oleo lumen ad annum integrum perduraſſe. Utinam idem orationi huic meae contingat, ut eius lumen in hoc Minervae veluti templo, dum hic ſe annus circumagit, indeſinenter ardeat, atque ad illud vos reſpicientes ita ſtudiorum veſtrorum rationem ineatis, ut ſapientiam ex utraque doctrina conflatam vobis comparetis. Neque vero quiſquam me arguat, quaſi minus apte, proprieque hanc Callimachi lucernae ſimilitudinem adhibuerim; nam de Gorgia oratore eximio teſtatum legimus eius orationes appellatas eſſe lampades, dieſque feſtos habitos, quibus illas populo recitaret. Equidem tenuitatis meae probe conſcius tantum mihi non tribuo, ut incomptam orationem meam politiſſimis Gorgiae orationibus coaequandam putem. Nequaquam tamen arrogantiae notam incurram, ſi lampadem etiam ipſam appellandam cenſeam, cum ad tam utilem veritatem agnoſcendam pro accenſa facula vobis fuerit. Velim autem ut eius lucem incuria veſtra reſtingui minime patiamini. Quod dum opto, maximas ſimul vobis omnibus optimitates gaudio offertiſſimas a Deo O. M. a quo omnis ſapientia eſt, ex animo comprecor.

Habita eſt Florentiae pro ſolenni Studiorum inſtauratione anno MDCCXXXV.

MO-

Digitized by Google

M O N I T U M.

EQuidem fateor, amice Lector, e Graecarum literarum ſtudioſis, qui in ſubiecta Epiſtola recenſentur, alios levem, alios mediocrem, alios pleniorem Graecae linguae cognitionem ſibi comparaſſe, ac non paucos Graecum quod ſuſceperant, ſtudium aliis curis diſtractos praetermiſiſſe. Quid tum? Nonne in omni ſtudio hoc contingere videmus? Nonne in illis quoque exteris locis, ubi Graecum ſtudium maxime vigere praedicatur, idem uſuvenit? Nihilominus cum tanto ſint numero, qui ad Graecum ſtudium ſunt conati, liquido conſtat (quod mihi & in hac & in ſuperiore Narratione probandum propoſui) nullibi per hoc tempus Graecas literas pluris factas eſſe, quam apud nos. Illud etiam obſervavi, eos, qui Graecum ſtudium ſuſceperunt, licet non ſint in eo valde progreſſi, ferme curare, ut alii progrediantur, ac ſaepe auctores eſſe ſive liberis ſuis, ſive aliis adoleſcentibus, ut ad illud animum adiungant, adeoque ipſos quoque ſuam afferre operam, ut Graecae literae propagentur. Quare aequum eſſe duxi eos quoque in lucem proferre, ac nominare.

AN-

ANGELUS MARIA RICCIUS

DISERTO AC DOCTO VIRO

PETRO FRANCISCO FOGGINIO

S. P. D.

S Y N O P S I S.

QUi Florentini Seminarii Alumni Graecum ſtudium coluerint . Marſilius Ficinus catalogum edidit ſuorum diſcipulorum , & Menchenius diſcipulorum Politiani . Huiuſmodi narrationes ad literariam hiſtoriam conferunt . De Collegio Eugeniano . De Collegiis Ieſuitarum , & Scholarum Piarum . Recenſentur complures alii φιλέλληνες . *Alii Auctoris diſcipuli , qui in priore Narratione fuerant praetermiſſi . Graecanica ſolennis Recitatio in Carmelitarum Templo habita an.* 1716. *De nonnullis Graecanicis diſcipulis , qui etiam Graecum cantum, & Graecae Liturgiae caerimonias didicerunt . Quomodo in hac Urbe hac aetate Graecum ſtudium diffundi coeperit . De tribus Averaniis . De Antonio Maria Salvinio . Catalogus diſcipulorum Salvinianorum . Alii , qui Gaaecam linguam docuerunt , eorumque diſcipuli . Laus Senatoris Philippi Bonarrotii . Epiſtolae concluſio .*

Quo-

QUomodo animum iſtum tuum , & plenam pietatis voluntatem in Florentinum Seminarium non probem , & commendem ? Cum enim omnem vitae inſtitutionem ex eo ſuſceperis , moribus , & doctrina formatus , ac deinde a ſapientiſſimo Florentino Antiſtite humaniorum literarum ibidem docendarum tibi demandatam provinciam plures annos geſſeris , par eſt , ut loci exiſtimationi conſulas , eique quam potes maximam acceptorum beneficiorum gratiam referas . Quapropter cum ad me veniſſes ſecundo Kal. Iul. ut gratum munuſculum eruditae Diſſertationis tuae de Divo Romulo Faeſulano Epiſcopo mihi impertires , folia quaedam huius primi Voluminis mearum Homericarum Diſſertationum in abaco meo poſita aſpiciens , quae nuper , tamquam muſtum de lacu , e praelo dimiſſa acceperam a typographo , eaque lectitans , dum divinus cocolatis potus , quo reficeremur , parabatur , gauderes quidem , quod Bianuccium ibi (continebant ſiquidem ea folia narrationem de Graeco ſtudio) inter Graecos meos auditores recenſuerim , ſed aegre ferres , quod alumnum Seminarii non dixerim ; praeterea percuperes , ut nonnulli alii adoleſcentes eiuſdem Seminarii , qui Graecis literis navant operam , commemorarem . Equidem de Bianuccio me tibi purgans , nullam aliam reſpondebam eius praetermiſſionis fuiſſe culpam praeter incogitantiam ; ſi enim cogitaſſem , non praetermiſiſſem , eodem plane modo , quo alios adoleſcentes ad quam ſcholam ſive

colle-

collegium pertinerent, ferme declaravi. Alios vero φιλέλληνας Seminarii adoleſcentes nominare nequiviſſe, quod ad ſolos meos diſcipulos Narratio illa contraheretur, in quibus unus Bianuccius e Seminario inveniebatur. Nihilominus pollicitus ſum me occaſionem aliquam expiſcaturum, qua ipſos quoque recenſerem, tamque bono deſiderio tuo obſecundarem. Neque enim novum, aut abſurdum eſt diſcipulorum, qui nobiliſſimis facultatibus operam dederunt, recenſionem ſcribi. Ut permulta alia exempla ſileam, Marſilius Ficinus catalogum ſuorum ſcripſit Martino Uranio, & Politianus in epiſtolis ſaepe deſcribit ſuos; ex quibus deinde diſcipulorum Politiani catalogum collegit Fridericus Otho Menchenius in eius Vita, quae nuper prodiit. Huiuſmodi ſiquidem narrationes multum ad literariam hiſtoriam conferre poſſunt. Quamobrem conſilium a me ſuſceptum tum huius, tum prioris Narrationis ſcribendae aequos rerum aeſtimatores non puto fore improbaturos. Ut igitur fidem meam liberem, has ad te literas dare ſtatui, quibus confiteor mihi eſſe multo iucundiſſimum, quod non deſint in Florentino Seminario ingenio ac ſtudio commendabiles aliqui adoleſcentes, qui Graecae linguae cognitionem, quam tute ipſe amas, conquiriſque, avide ſibi comparent. Horum primum eſſe comperi Nicolaum Staniſlaum Meuccium, qui viginti annorum aetate nondum exacta, adeo pervaſit intima Graeci ſermonis penetralia, ut non tantum ſcriptores probe intel-

ligere,

ligere, atque interpretari valeat, ſed etiam Graecos ſcribat verſiculos leporis non expertes. Etiam Dominicum Mariam Cantagallium multum in Graecis literis profeciſſe maximopere gaudeo. Horum inhaerent veſtigiis Antonius Philippus Caſinius, Ioſephus Quercius, Franciſcus Ceccherellius, & quidam alii, qui Graecae linguae ſtudio ſe accingunt. E Seminario item prodiit Hyacinthus Toſius Florentino Theologorum Collegio aſcriptus, multis literis ornatus, Graeceque a Salvinio edoctus, & ſub eo Homerum Latinis verſibus hexametris interpretari aggreſſus; necnon Clemens Ioſephus Binius, qui fervido ingenio, ac varia eruditione praeditus Graecam linguam ipſe etiam adamavit, & nonnihil attigit ſub Marco Roſſio S. Th. D. & Clericorum S. Mariae Novae olim Magiſtro, Graecis literis probe erudito. Quamvis autem commemoratos Seminarii adoleſcentes non ipſe docuerim (niſi quod ad me audiendum Homericas Diſſertationes in publico Athenaeo recitantem, aut ad Graecum ſtudium cohortantem accedunt) arbitror tamen quodammodo ad me pertinere. Siquidem Antonius Gaſpar Franchius meus diſcipulus, deceſſor tuus ſemen Graecii ſtudii in Florentino Seminario iecit; quemadmodum etiam in Gymnaſio S. Laurentii, ubi in praeſentia humaniores literas profitetur, in Graecae linguae rudimentis aliquos adoleſcentes exercere aggreſſus eſt. Fatendum tamen Meuccium, inſignem, quam fecit in Graecis literis progreſſionem, non

tam Franchio debere, quam ſibi ipſi, qui fere proprio marte ad Graecum verticem contendit. Quia vero grato animo accepti beneficii memoriam ſervat, ſibi ad Graecas literas profuiſſe teſtatur Thomam etiam Mamachium natione Chium, iuvenili aetate doctiſſimum, & amicum meum, tuumque ſuaviſſimum ex clara Dominicanorum Familia; ad quem literariis feriis, quibus alii adoleſcentes ad permiſſa animi laxamenta eunt, is ventitabat, ut una cum illo in Graeco ſtudio exerceretur, & eo adiuvante in lectione Codicum MSS. celeberrimae Bibliothecae S. Marci proficeret. Qui Mamachius cum Florentiae illuſtria dederit ingenii, & eruditionis ſuae argumenta, nunc publice docet Romae. Hic autem non poſſum facere, quin & te, & Ioſephum Mariam Brocchium vigilantiſſimum Seminarii Moderatorem praedicem, quod ambo ad promovendum Graecum ſtudium in adoleſcentibus veſtrae curae commiſſis conſpiratis. Quae eadem laus debetur pariter Franciſco Pogginio Collegii Eugeniani Praeceptori optimo, apprimeque erudito, qui ad Graecas literas adhortari atque urgere non ceſſat, quos praecellentes ingenio, ſtudioque flagrantes noverit, e quibus nonnulli a me edocti in priore Narratione deſcripti ſunt. Et ſane cum haec duo ſtudioſorum adoleſcentium Collegia aliis antiſtare in hac urbe exiſtimentur, aequum eſt ut qui ea moderantur, optimam ibi vigere ſtudiorum rationem pro virili parte curent. Non ſum tamen dicere

prae-

praetermiſſurus e Collegiis etiam Ieſuitarum, ac Scholarum Piarum nonnullos identidem ſtudioſioſiores iuvenes ad me miſſos, ut Graecae erudirentur, cum ſcilicet praeceptores illic docentes Graecum ſtudium literis neceſſarium exiſtimarunt, & aliquos ad illum ſtudium propendentes agnoverunt. Fuit etiam aliquando eorum aliquis, qui Graece ſciens Latinam diſcipulorum inſtitutionem Graecis rudimentis cumulavit, ut nuper Hieronymus Lagomarſinus, a quo aliqui eruditi adoleſcentes ad me deinde ulterius in Graeco ſtudio progreſſuri acceſſerunt. Qui Lagomarſinus immenſo plane labore, & diligentia emendatam ad Florentinos Codices MSS. alioſque, Ciceronis editionem, noviſque annotationibus locupletatam iamdudum apparat. E Societate quatuor alios commemorabo Florentinos, Petrum Antonium Antinorium, Antonium Portinarium, Carolum Rotium Graecis literis, multaque doctrina inſtructos, atque Antonium Mariam Lupum aetate valde immatura Panormi mortuum magno antiquarum literarum detrimento, quarum erat peritiſſimus. E Clericis vero Regularibus Scholarum Piarum denuo commemorandus Cl. Alexander Politus in Piſano Athenaeo Humaniorum literarum Profeſſor longe inclytus, in prima etiam Narratione laudatus; ipſe enim unus inſtar multorum eſt. Hic Graeca lingua erudiit Florentiae nobiliſſimum virum Alexandrum Strozzam multarum linguarum cognitionem avide conſectatum. Nonnulli etiam e meis diſcipulis, ubi Piſas ad conficiendum ſtudiorum curricu-

riculum, & doctrinae lauream conſequendam ſe contulerunt, Graecum, quod coeperant, ſtudium ſub eo, me adhortante, continuarunt. Quinimmo datis ad eum literis enixe olim rogavi, ut benigne ad ſe venientes illos acciperet, profitebarque me pro huiuſmodi beneficio eamdem ei gratiam habiturum, ac ſi apud me ipſum eſſet locatum. Plures vero alios Piſis ab eo edoctos, non refero, tum quia non novi, tum quia ad meum propoſitum ſpectare non puto. Praeter Politum, alios duos cives noſtros referam ex eadem Familia, qui multa doctrina ornati Graecas quoque literas amaverunt, Stephanum Terzollium, & Ubaldum Mignonium. Cum his recenſendus, etſi Florentinus non eſt, Odoardus Corſinius in Piſano Lyceo Profeſſor, Philoſophiae uberrimo, optimoque tractatu edito notiſſimus. Nam in hac urbe ferme per ſe ipſum Graecas literas ſibi comparavit, quas cum Piſis aeſtivis feriis huc revertitur, ſiqui iuvenes e ſuo Ordine earum ſint cupidi, ultro ac libenter docet. Sed rediens ad Seminarii alumnos, quos a me recenſeri exoptaſti, vehementer laetor, quod huius alterius recenſionis auctor mihi fuiſti; cum enim priorem meorum in Graeco ſtudio diſcipulorum narrationem ad Patriae huius decus, gloriamque ediderim, bene factum deinde ſentio, ut ad hanc gloriam amplificandam, Graecanicos Seminarii alumnos depromerem, & hanc occaſionem nactus, permultos alios commemorarem Graeci Sermonis ſtudioſos, & alia quaedam ad Graecum ſtudium ſpectantia (quomodo nimirum in hac

urbe

urbe diffundi coeperit) referrem : quorum non ferendum interire memoriam. Volo autem animadvertas, eos, quos recenſeo ad urbem noſtram pertinere, quia aut Florentini ſunt, aut ſi non Florentini, Graecis literis Florentiae dederunt operam. Itaque maxime celebrandus Cl. Ioſephus Auguſtinus Urſius Florentinus Dominicanus, Sacrae Indicis Congregationi a Secretis, vir plane meritiſſimus, ac doctiſſimus, Graecaque literatura inſignis, qualem diverſa probant volumina, quae doctorum hominum plauſum retulerunt. Ab eo in hoc S. Marci Coenobio Graeca rudimenta hauſit Thomas Maria Griſellius Liburnenſis Theologiae Lector eruditiſſimus. Laudandus deinde Cl. Ioannes Baptiſta Caracciolus Theatinus in Piſano Lyceo Philoſophiae inſignis Profeſſor. Hic ſane Graecam linguam Neapoli patria ſua didicit; nihilominus Florentiae eius ſtudio impenſius incumbens, duas Euripidis Iphigenias Etruſce eſt interpretatus, & aliquot ineditas D. Gregorii Nazianzeni Epiſtolas e Laurentiana Bibliotheca erutas, & a ſe Latine converſas, doctiſque Annotationibus explanatas in lucem protulit. Nunc vero meditatur novam adornare Operum D. Greg. Nazianz. Editionem Scholiis ineditis locupletatam Baſilii Minimi, quorum Latinam verſionem parat. Eo ſiquidem mandante hunc Scholiaſten e Codice MS. Bibliothecae S. Marci iam excripſit Meuccius. Nec ſine laude nominandi ſunt Iacobus Baldovinettus eruditione & probitate conſpicuus, qui Graecas inſtitu-

ſtitutiones accepit Romae, & ad patriam reverſus Florentinis Canonicis adſcriptus eſt; Ioannes Guaibertus Franceſchius olim Canonicus Florentinus, vir ingenio & doctrina non vulgari, qui duos habuit ex meis diſcipulis Belluccium, & Brogianium in Graeco ſtudio duces; Bindus Io. Philippus Peruzius Piſcienſis Praetor, ſive (ut dicunt) Commiſſarius, qui Graecis literis, quibus Senis in Collegio S. Georgii inſtitutus eſt, in hac patria operam navare pergens, Graeca epigrammata valuit ſcribere; Ioſephus Maria Iuglarius Theatinus, qui a Ioanne Baptiſta Scarella, & Antonio Franciſco Vezzoſio meis diſcipulis Graecam linguam in hoc S. Caietani Collegio probe condidicit, & nunc Veronae Philoſophiam multam cum laude profitetur; Aloyſius Bandinius acri ingenio iuvenis, quem ſpes eſt magnas facturum progreſſiones tum in Graecis literis, quibus a Colleſchio meo diſcipulo eruditus eſt, tum in Mathematica ſcientia, qua inſtituitur a doctiſſimo viro Ioſepho Hermenegildo Marmio Collega meo, qui Graecum ſtudium & ipſe valde amat, in eoque ſedulo ſe exercet; Petrus, & Dominicus, filii Ioſephi Mariae Xaverii Bertinii auditoris olim mei in humanioribus literis, ac Geometria; nunc vero Medici celeberrimi, quos duos adoleſcentes, aliqui ſimiliter ex meis diſcipulis Latinis, & Graecis literis imbuerunt; & Franciſcus Marinius, qui Graecam linguam, qua Piſtorii a Nicolao Butio humaniorum literarum publico ac laudatiſſimo Praeceptore initiatus eſt, Florentiae

per-

perrexit excolere, eamque deinde una cum Latina eruditione Equiti Antonio Serriſtorio, fratrique eius Andreae, nobiliſſimis ac ſtudioſiſſimis iuvenibus tradidit. Nec praeteribo alios duos fratres Capponios, Camillum Equitem S. Stephani, & Ferdinandum Carolum Equitem Hieroſolymitanum Graeci ſermonis rudimentis initiatos a Cl. Gorio in Praefatione laudato, Salvinii tum in Graecis literis, tum in re antiquaria diſcipulo (qui Longinum de ſublimitate e Graeco in Etruſcum ſermonem fideliter & eleganter vertit) adhortante, atque urgente illos ad hoc ſtudium parente optimo Comite Ferrante Senatore Florentino, quod cum Graecae linguae ſtudio ipſe etiam ſub Salvinio detineretur, eius neceſſitatem ad omnem doctrinam, ut mihi teſtatus eſt, probe ſenſerit. Etiam meorum diſcipulorum nonnulli recenſendi ſuperſunt, qui in memoriam non inciderunt recenſenti alios. Ac primum mihi dicendum, in Coenobio Carmelitarum (commendante atque inculcante Graeci ſtudii neceſſitatem Praeſidibus eius Coenobii, Equite Antonio Franciſco Marmio de publicae Magliabechianae Bibliothecae conſtructione optime merito) quatuor & viginti ab hinc annis in Graeca lingua mihi valde iuveni fuiſſe diſcipulos quatuor ex eo Ordine adoleſcentes, Angelum Mariam Sanctium, Benedictum Riccium, Cyrillum Bertinium, Petrum Thomam Chioſtrium, quos deinde & Theologiae Magiſtros renunciatos, & ad alia munera ſui Ordinis evectos accepi. Cum

vero

vero eodem tempore erudirem domi meae alios ſex adoleſcentes Latina Ieſuitarum gymnaſia frequentantes, videlicet Franciſcum Gavarniolium, Antonium Caſtellanium, Alexandrum Morandium (de quo memini etiam in prima Narratione) Ioannem Laurentium Luzium, Ioannem Antonium Panichium, nunc Sacrae Theologiae Doctorem, & Caietanum Tanium, primum in Faeſulano Seminario humaniorum Literarum Praeceptorem, deinde Plebanum Sanctae Mariae de Sco, utraque coniuncta claſſe me duce habita eſt ab eis publica ac ſolemnis Graecanica recitatio in ipſo Carmelitarum Templo Regiae Celſitudini Ioannis Gaſtonis tunc Magni Etruriae Principis dicata, confluente ob rei novitatem magna ſpectatiſſimorum auditorum frequentia. In ea vero poſt quatuor breves Latinas de neceſſitate Graecae linguae Exercitationes, dictae ſunt aliquae partim Latinis, partim Etruſcis carminibus concinnatae verſiones deſcriptionum pulcherrimarum ex Homero deſumptarum; deinde nonnulla antiqua epigrammata Graeca in Homerum eodem modo converſa, demum complures poëticae lucubrationes diſcipulorum tum Latinae, tum vernaculae in eius Vatis laudem. Abſoluta recitatione, diſtributa auditoribus fuit ſylloge typis excuſa diſtichorum Graecorum, optimum Principem Academiae Patronum concelebrantium; ad quam ſyllogen componendam ſymbolam ſui diſtichi diſcipulorum quiſque contulerunt. Dixi in priore Narratione Laurentium

Gat-

Gattinium Benedictinum cum aliis quatuor ſui Ordinis iuvenibus, duos circiter annos a me fuiſſe Graeca lingua edoctos, quos tunc nominare non potui, quia eorum nomina mihi e memoria exciderant. Nunc vero reperta hic deſcribi oportere puto. Sunt igitur Maurus Redius, Seraphinus Firraus, Reginaldus Porzia, & Petrus Dominicus Manganonus, qui modo in hoc Monaſterio S. Mariae Philoſophiam profitetur. Praeter hos in Graecanicis meis auditoribus numerantur ornatiſſimus Eques Iulius Orlandinius olim de Beccuto, Nicolaus Franchius I. U. D. Canonicus Caſtri Franchi ad Arnum, & nobilium Epheborum Aulae Mediceae iamdudum laudatiſſimus Praeceptor; Paulus Mengonius in literis tum Latinis, tum Graecis valde progreſſus, quarum tamen ſtudia relinquere, & a ſacra militia, cui nomen dederat; gravi morbo diſcedere coactus eſt; quod certe mihi non minus, quam illi grave fuit, ac permoleſtum; Bernardus Lucattellius S. Th. Doctor, & Ioannes Franciſus Fanellius in principe Urbis huius Templo Sacerdos autoratus, qui in *ſcientia Sanctorum* ſibi comparanda, aliiſque tradenda aſſidui ſunt; Gaſto Ioſephus de Georgiis Medicus, qui Etruſcam Epiſtolam phyſicomechanicam edidit de una, & vera Fontium origine, virenti aetate mortuus; Soſteneus de Soſteneis Canonicus Lateranenſis acri ingenio, & doctrina non vulgari, primum Salvinii, deinde meus auditor, qui pariter iuvenis mortem oppetiit;

Angelus Bartolinius Olivetanus, qui Graecas literas a me accepit; dum in hoc ſuburbano ſui Ordinis Monaſterio philoſophiam multa cum laude profiteretur; Ioſephus Mecattius ingenio, & eruditione clarus, qui primum me audiit, deinde etiam Salvinium, nunc autem Florentinam hyſtoriam adornat; Antonius Sebaſtianus Gorius Sacerdos integris moribus; Bartholomaeus Arrigonius I. U. D.; Ioannes Baptiſta Perius I. U. D. & Canonicus Montis Varchii; Franciſcus Maria Sorellius I. U. D.; Petrus Maria Sbaccherus duorum circiter annorum ſtudio in Graeca cognitione ſtrenue provectus; huic non abſimilis Antonius Dominicus Tofanus; Thomas Scarlattius ab Antonio Maria fratre ſuo erudiriſſimo, S. Th. D., & Graecitatis non experte (ut pote Salvinii olim diſcipulo) in Gymnaſio S. Mariae Novae humaniorum literarum praeceptore in rectam ſtudiorum viam deductus; & Ioſephus Guidius Canonicus Volaterranus, Eques S. Stephani, iuvenis ſtudioſiſſimus. His addenda Franciſca Fabria praeclariſſima femina, Equiti Ioſepho Bonſio matrimonio iuncta; nam cum vivido ingenio praeditam, & eruditionis avidiſſimam Latinis literis Philoſophia, ac Geometria inſtituiſſem, enixe a me poſtulavit, ut Graeca quoque lingua eam vellem erudire. Nunc vero in liberis optime inſtituendis, domoque curanda tota eſt, plane digniſſima ut *domiſeda*, ac *lumen domus* (quales ſpectatiſſimae feminae in vetuſtis Inſcriptionibus leguntur) appelletur.

De

De meis diſcipulis illud etiam narrandum habeo, aliquos ex eis, qui Eccleſiaſticae militiae nomen dederunt, etiam Graeco cantu (quem a duobus Chiis Ioanne Calvocoreſſio, & Michaële Veſtarchio diu hic commoratis una cum vernacula Graeca lingua didici) a me fuiſſe eruditos, adeo ut ſi quis Graecus Sacerdos huc adveniret, rem divinam facientem probe poſſent caerimoniis, & cantu conſociare, eique συλλειτουργεῖν, quod ſaepe in multis templis magna cum ſolemnitate peractum. Iam vero tum ex iis, quos hactenus recenſui, tum ex aliis, quos deinde recenſebo, liquere puto, quam bene, copioſeque Graecae literae quinquaginta circiter ab hinc annis in hac urbe refloruerint; ita ut haec aetas Politiani aetati minime invideat, qua Graecum ſtudium a tam multis frequentatum eſſe dicitur. Hanc vero Graeci ſtudii propagationem acceptam principio referre debemus magno illi Benedicto Averanio, Latina eloquentia nulli veterum ſecundo, qui Graecae linguae ſcientiſſimus, quam per ſe ipſum miro exemplo didicit, eius amorem ſtudioſis adoleſcentibus afflare coepit; antea enim vix unum, aut alterum reperire licebat, qui Graece (& quidem tenuiter) ſciret. Ioſephus deinde & Nicolaus eius fratres natu minores Graecis literis tum ab eo, tum a Salvinio imbuti, Graecum ſtudium magis, magiſque prolatare viſi ſunt. Atque hic rem gratam me facturum arbitror Ampliſſimo Viro Iulio Oricellario Senatori Florentino, & Impe-

rii, ac Sacerdotii concordiae Praefecto, ſi hic palam faciam ad Graecas literas, quas primum ſe debere profitetur Antonio Cocchio, multum ſibi contuliſſe etiam Nicolaum Averanium, penes quem deinde in illo ſtudio ſe valde exercuit, ac poſtremum ſub Salvinio magis, magiſque progreſſus eſt. Sane a Nicolao traditas ſibi quoque fuiſſe Mathematicas diſciplinas, multaque alia, ſaepe illum audivi grato ac memori animo teſtificantem. Etiam Laurentius Maria Giannius Decanus Florentinus, morum innocentia, Chriſtianis virtutibus, doctrina, humanitate omnibus probatus, *cuius memoria in benedictione eſt* (eum ſiquidem Benedictus XIII. *Venerabilem* voluit dici) Graeca ſimiliter lingua, ac Geometria ex profeſſo inſtitutus eſt a Nicolao, ut ipſius Giannii literae autographae teſtantur penes Ioſephum Mariam Roſſium S. Th. Doctorem, in principe Urbis templo Magiſtrum Chori, eiuſque Vitae ſcriptorem luculentum. Qui plane Nicolaus quo minus ſe doctum venditabat, paucorum verborum vir, eo maiorem ac profundiorem celabat in animo doctrinam. Sed ipſe Oricellarius, quem modo memoravimus, dum leges in Piſano Lyceo profiteretur, in acerrimi ingenii iuvene, ac ſtudioſiſſimo Rainaldo de Albizis Graecas literas peperit; qui quamquam Piſanus eſt, & Graecum ſtudium Piſis occoepit, quia tamen aliquot ab hinc annis ad patrocinandas cauſſas Florentiam demigravit, atque hic ἑλληνίζεσθαι numquam deſiit,

ſuit, iis, qui Graecae linguae in hac Urbe operam navaverunt, videtur optimo iure annumerandus. Quod ſi etiam de Ioſepho Averanio dicere inſtituam, non pauci mihi eſſent nominandi, quibus in Graeco ſtudio facem praetulit. Referam, quos ſcio; Equitem Diotiſalvium Mercatum olim Neronium ex Collegio nobilium Advocatorum huius Urbis, labore, ſtudio, ac diligentia inter Iuriſperitos maxime commendatum; Philippum Martinium Canonicum Florentinum eruditiſſimum, & in Curia Pontificii Legati Auditorem primarium; Roſſum Antonium Martinium eius fratrem, & Marchionem Andream Alamannium noviſſimi Furfureorum Lexici laudatiſſimos concinnatores; duos fratres Gentilios Ioannem, & Pamphilum, qui ambo Liburnum commigrarunt, primus ad medicinam faciendam, portumque ab exitialis contagionis periculis tutandum, alter in Canonicorum numerum cooptatus, cuius legi Graeca epigrammata elegantiſſime ſcripta; Georgium de Georgiis Medicinae & Poëſeos laude ornatum, qui iuvenis obiit; Hyppolitum Scaramuccium, quem ingenium, doctrina, ſedulitas tum in agendis cauſſis, tum in politioribus literis valde commendat; & Hieronymum Riccium virum probum & eruditum, Regiae Iuriſdictionis Cancellarium. Ad Averanios pertinere mihi narratum eſt etiam Ioannem Vincentium Luccheſinium Lucenſem Romano Pontifici a Secretis Brevium Epiſtolarum ad Principes, ac de Demoſthene Etruſca verſione elegantiſſima,

tiſſima, eruditiſſimis adiectis annotationibus, optime meritum; ac Bernardum Tanuccium, primum in Piſana Academia legum Profeſſorem inclytum, deinde a geminae Siciliae Rege Carolo Marchionis titulo, & praeclariſſimi Muneris dignitate Neapoli inſignitum. Sed Antonius Maria Salvinius Benedicti Averanii diſcipulus, Praeceptor, ac deceſſor meus, Graecarum literarum cognitione cumulatiſſima, totiuſque eruditionis incredibili comprehenſione celeberrimus, ad multo plures Graecae linguae ſcientiam transfudit; quae in dies ſubinde felici progreſſione ad ingentem hunc φιλελλήνων numerum excrevit. Iam vero Catalogum attexam Graecanicorum Salvinii diſcipulorum, quem ipſe Salvinius optaverat, ſtatueratque literis conſignare, quod deinde diuturno morbo, atque obitu ſubſecuto perficere vetitus eſt. De exteris viventibus recenſendi ſunt Angelus Maria Card. Quirinus Venetus, Epiſcopus Brixianus, Sanctae Eccleſiae Bibliothecarius, & Praefectus Indicis, profundiſſima Graecae linguae cognitione, & pluribus Operibus editis inſigni doctrina refertis longe praeclariſſimus; Comes Franciſcus Montanius Piſaurienſis, qui quamdam Diſſertationem in Graecam Inſcriptionem, & opus anaglyphum huius Muſei Medicei ſcripſit, tenebraſque Lycophronis atri (quas vocat Statius) verſione, & notis illuſtravit; Marchio Franciſcus Maria Ottierius Senenſis, celebris Hiſtoriographus; Marius Guarnaccius Volaterranus inter Romanos Praeſules eruditiſſimus, qui Hecubam Euripidis Etru-

Etruſcis carminibus eleganter verſam, & Salvinianis obſervationibus locupletatam evulgavit, atque ipſi Salvinio dicavit; Iulius Accetta Neapolitanus ex Ordine S. Auguſtini S. Th. Magiſter, in Regia Auguſtae Taurinorum Univerſitate Mathematicae Profeſſor eximius, cui a Praeſidibus ſuis olim prorogata fuit manſio in hoc Sancti Spiritus Coenobio, ut ſub Salvinio in Graecae linguae cognitione proficeret; typis prodiit Orationum ab eo ſcriptarum volumen, quarum aliquae in laudatione verſantur. De exteris vero fato functis habeo quos commemorem, Equitem Thomam Derheamum Anglum, qui multa edidit ex Anglica lingua in Etruſcam optime verſa; Comitem Camillum Antonium Boccadiferrum Senatorem Bononienſem, cuius eruditionem ſatis oſtendit oratio ab eo ſcripta, ac typis edita, quam habuit in ſolennibus exequiis in Templo S. Mariae Novellae Ludovico I. Hiſpaniarum Regi iuvenili aetate mortuo celebratis; Anſelmum Bandurium Benedictinum, Epidaurium, inſigniſſimum rei antiquariae, aliarumque doctrinarum Profeſſorem, ut tot ab eo in lucem emiſſa volumina teſtantur; Stephanum Trentam Benedictinum Lucenſem, in Piſano Lyceo Philoſophiae Moralis doctum Profeſſorem; & Philippum Farſium S. Th. D.; primum nobilium Aulae Mediceae Epheborum Magiſtrum, deinde S. Petri in Mercato Plebanum, qui probitate & doctrina omnium ſibi venerationem conciliavit. Addendus fortaſſe Henricus Card. Noriſius, ſelectio-

ris

ris eruditionis pleniſſimum penu , qua complura Volumina cumulavit ; nam dum Florentiae ageret nondum ſacra Purpura decoratus , ſaepe dicitur ad Salvinium confugiſſe , quoties Graecas ſalebras offenderet , quas ſe ſolo complanare non valeret . Sed iam ad noſtrates , qui in vivis agunt , deveniendum . Hi ſunt Iacobus Card. Lanfredinius Auximanus Epiſcopus, morum ſanctitate , & legum ſcientia ſpectatiſſimus ; Franciſcus Gondius Florentinus Senator nobiliſſimus , & munerum , quae gerit , dignitate conſpicuus ; Benedictus Breſcianius Regius Bibliothecarius , rerumque Mathematicarum ſcientia inclytus ; Ioannes Caietanus Bottarius inter Romanos Praeſules connumeratus typis notus , ſacris profaniſque literis, ac Mathematicis ſtudiis praeſtantiſſimus , Romam a SS. Pontifice Clemente XII. evocatus , & praeclarorum munerum dignitate auctus , qui olim Graece inſtituit Caietanum Veracium S. Th. D. ac S. Miniatis ad Turres Parochum , & Iacobum Leſſium Parochum S. Andreae ad Rovetianum, viros multa eruditione inſtructos ; Petrus Franciſcus Tocius Laurentianae Baſilicae Canonicus, ingenii acie , iudicii ſolertia , multiſque literis ſummus , qualem produnt aliqua ex eius ſcriptis praelo emiſſa ; Antonius Dominicus Gottius in Piſano Athenaeo Medicinae laudatiſſimus Profeſſor , qui luculentum de Hydrope tractatum edidit ; Bindus Simon Peruzius generis amplitudine, & eruditione ornatiſſimus , in Florentino Athenaeo Etruſcarum literarum Profeſſor ; Ioſephus

Bian-

Bianchinius Plebanus S. Petri de Aiolo, cuius nomen erudita ornant plura volumina, quae lucem aſpexerunt; Nicolaus Bargiacchius I. U. D. tum multa eruditione, tum MSS. bibliotheca ſua notus, & Salvinio familiaritate coniunctiſſimus; Caietanus Monellia, multiplicis literaturae vir, legum in Florentina Academia Profeſſor optimus, qui a Graeco ſtudio, alacriter incepto abſiſtere coactus eſt, quod intenta caracterum Graecorum lectio eius oculos laederet; Franciſcus Pittoreggius rei antiquariae ſcientiſſimus, Parochus Triſanctinus; Innocentius Montinius I. U. D. ſubitaria poëſi, & multa eruditione inſignis, cuius vulgata eſt Diſſertatio Etruſca de Calligraphia, & alia quaedam; Iacobus Magnanius, qui multa cum laude cauſſis patrocinandis in hac urbe navavit operam, deinde Romam commigravit; Ioannes Laurentius Bertius Auguſtinianus S. Th. Magiſter, qui dum in hoc S. Spiritus Coenobio, Philoſophiam profiteretur, Graecas literas acri ſtudio conſectatus eſt, earumque probe factus eſt compos, ut ex Opere Theologiae Dogmaticae, cuius quartum hactenus edidit Romae volumen, liquido conſtat; Carolus Maria Bindius S. Th. D. adoleſcentium, quos domi ſuae inſtituit, magiſter ἀνάργυρος; Sebaſtianus Caſalius, olim Faeſulanus Canonicus, ingenii, & eruditionis laude ornatus; Camillus Piombantus I. U. D. qui Piſas hinc nuper abiit valde conſpicuo penes maris Conſules officio a Magno, Regioque Etruriae Duce Franciſco III. decoratus; Angelus Vallius tum Graeca, tum Hebraica

lingua doctiſſimus ; Caietanus Caninius I. U. D. ingenii ſublimitate , & eruditione inſignis ; Antonius Franciſcus Monaldius Plebanus S. Petri in Mercato doctrina tum ſacra , tum profana apprime inſtructus. Hos inter omnes fulget Salvinus Salvinius Canonicus Florentinus , qui Graeca rudimenta , & Latinam , Etruſcamque eruditionem a doctiſſimo fratre liberaliter hauſit . Ex pluribus , quos emiſit , ingenii ſui foetus , maxime commendandi Conſulares ſacrae Academiae Florentinae Faſti . Noſtrates vero , qui fato conceſſerunt , eſſe comperi Franciſcum Card. Nerlium iuniorem , Archiepiſcopum Florentinum ; Alamannum Card. Salviatum , τὸν φιλοπάτριδα , qui praeclare Avenionenſem & Urbinatem provincias adminiſtravit ; Franciſcum Mariam Arrighium primum Canonicum , & Decanum , ac Vicarium Generalem Florentinum , deinde Epiſcopum Politianum ; Laurentium Panciaticum Canonicum Florentinum doctrina , ac lepore ſcriptorum ſuorum , quorum nonnulla prodierunt in lucem , notiſſimum ; Thomam Bonaventurium , cuius typis editae ſunt aliquae literariae , multaque eruditione inſtructae lucubrationes ; Antonium , & Iacobum Rillios fratres doctiſſimos , cauſſarum Patronos , quorum alter Legales Inſtitutiones edidit , & uterque primum in Piſano , deinde in Florentino Lyceo legum ſcientiam profeſſus eſt ; Equitem Ioannem Baptiſtam a Cerreto Senatorem Florentinum Iuriſprudentia , ac morum honeſtate , & praeclaris muneribus , quae geſſit , celebrandum ,

Digitized by Google

dum, ut ex nobiliſſimo epitaphio a Salvinio ſcripto apparet, quo diſcipulum ſuum in S. Mariae Maioris Aedibus contumulatum honeſtavit; Baiulivum Marcum Martellium, qui pluribus annis Legatione apud Imp. Leopoldum nomine Coſmi III. ſapienter functus eſt; Franciſcum Memmium cauſſarum Patronum, Romae, ut puto, mortuum, vitae Gaſparis Card. Carpinei ſcriptorem in altero Tom. Arcadum mortuorum editae, in Graecis ſermonis cognitione mirum in modum progreſſum, ut ipſemet Salvinius teſtatur in quadam annotatione MS.; Franciſcum Forzonium Accoltum optimo guſtu politioris literaturae imbutum; Lazarum Benedictum Miglioruccium legum eruditiſſimum Profeſſorem, cuius extant Canonicae Inſtitutiones in vulgus olim emiſſae; Bernardum Colzium inſignem Medicum, & poëtam; Ioannem Baptiſtam Balaſſium acerrimo ingenio, medicinae ſcientia, optimaque eruditione praeſtantiſſimum, arctiſſimis amicitiae vinculis mihi adſtrictum, qui morti proximus quaedam Graeca volumina in amicitiae teſſeram mihi reliquit; Philippum Meium cauſſarum Patronum, bonis literis, & Etruſca poëſi politiſſimum; Sebaſtianum Bianchium peritiſſimum Muſei Medicei Cimeliarcham; duos fratres Lorenzinios Stephanum, & Laurentium ingenio ac doctrina ſingulari praeditos, quorum primus librum de Torpedinibus, alter Geometricos tractatus edidit; Ioannem Philippum Scalettium S. Th. D. & in principe Urbis Templo Magiſtrum Chori, qui una

cum Biſcionio in Praefatione laudato lepidiſſimum Malmantilis poëma novis obſervationibus auxit; Dominicum Stecchium Sacerdotem, qui duo edidit opuſcula, unum de Poëſi univerſali, alterum de fundamentis Latine ſciendi; Antonium Franciſcum Gallettium, & Petrum Salvatorem Palchettium in ipſo aetatis flore tam profundam Graecae linguae cognitionem aſſecutos, ut falce mortis acerbiſſime demeſſos effuſis lacrymis pientiſſimus Salvinius lamentatus ſit. Viden quot, & quam inſignes ſint Salviniani diſcipuli? Atque hic animadverte non omnes in hoc catalogo eſſe comprehenſos, nam ſicut aliqui antea recenſiti ſunt, ſic aliqui mox recenſebuntur. Aliquos enim, quod opportunum fuerit aut hic antea, aut in Praefatione nominare, ibi eos Salvinii dixi diſcipulos; alios autem data opera huc reſervavi, ut ſeries eorum, qui ad hoc tempus Graecam linguam docuerunt, necteretur. Itaque poſt Salvinium commemorandus Thomas Galeſtruzius ὁ μακαρίτης, in principe urbis Templo Sacerdos autoratus, integritate vitae ſingulari, & Graeci ſermonis tum veteris, quem ab ipſo Salvinio didicit, tum recentioris, quem a Graecis advenis quaeritavit, ultra mediocritatem peritus. Plane inter viros de Graeco ſtudio bene meritos non ultimum obtinet locum. Nam ipſe quoque permultis adoleſcentibus Graecae linguae rudimenta olim tradidit, quos tum puerilibus munuſculis, tum aliis bonis lenociniis pelliciebat; in quibus & ipſe fui, antequam ad

Sal-

Salvinium me conferrem. Ab eo inter alios eruditi ſunt Eques Caeſar Ricaſolus iamdudum demortuus, quem in Graeco ſtudio valde proficientem ſaepe laudavit Salvinius, nam Salvinium quoque audiit aliquando; Antonius Oliverius in Piſano Athenaeo Iuris Caeſarei doctiſsimus Profeſſorem Ordinarius, & Collegii Ferdinandi Rectorem prudentia, ac vigilantia maxime commendatus; Franciſcus Maria Salvatorius olim Faeſulani Seminarii Praeceptor, eiuſque Cathedralis Eccleſiae Canonicus, nunc vero Seminarii Piſani Praeceptor, ac Moderator, recta ac perutili inſtituendorum adoleſcentium ratione celeberrimus; Thomas Felix Dantius ex Minoribus Obſervantibus, praeclaris muneribus in ſuo Ordine functus, famigeratus Concionator, & ſacra doctrina egregie ornatus; Thomas Monellia Dominicanus, Graece doctiſſimus, in Praefatione laudatus, qui Mamachium, de quo ſupra dixi, & Dionyſium Remedellium, Epidaurium, Theologiae Moralis in Coenobio S. Marci Profeſſorem ad Graecae linguae cognitionem celeriter provexit; Nicolaus Maria Nolfius, in Florentino Lyceo Moralis Theologiae Profeſſor, immaturo fato praereptus; Michaël Angelus Bertius egregio ingenio, ac doctrina, Sacrae Florentinae Academiae Cancellarius; plureſque alii etiam inter Salvinii auditores numerati, quia ab utroque ad Graecam eruditionem deducti ſunt. Sed omnibus praeferendi munerum amplitudine quae geſſerunt Ioſephus Card. Archintus Archiepiſcopus Theſſalonicenſis,

 &

& Antonius Franciſcus Card. Sanvitalius Archiepiſcopus Epheſius, qui aetate grandiores, cum Pontificia Legatione apud Magnum Etruriae Ducem fungerentur, primus ab an. 1686. uſque ad an. 1689. alter ab an. 1711. uſque ad an. 1713. a Galeſtruzio Graecis literis ſunt inſtituti. Notandum vero priori oblatum eſſe Galeſtruzium loco ſui a Salvinio, aliis fortaſſe occupationibus praepedito. Horum clara veſtigia perſecutus ampliſſimus atque eruditiſſimus vir Ioannes Franciſcus Stoppanius Archiepiſcopus Corinthius, dum idem Pontificii Oratoris munus hic exequeretur, me Duce ad Graecum ſtudium ſimiliter uti voluit, a quo proinde meo quaſi iure poſtulavi impetravique, ut in fronte huius primi Voluminis tamquam emicantiſſimam gemmam nomen ſuum praefigere mihi liceret. Alius etiam apud M. D. Coſmum III. Pontificii Oratoris Graeca olim lingua benevolentiam mihi promeruit. De Petro Ludovico Card. Carafa meritiſſimo loquor. Cum enim Graecum Diploma, quod in hoc ſuburbano Carthuſianorum Monaſterio aſſervatur, eius iuſſu excripſiſſem, iam tunc me plurimum diligere, ac familiariter uti coepit; Romam vero reverſus Sacerdotium in patriae huius principe Templo merito Graecae linguae a SS. Pontifice Clemente XI. Graecarum literarum amantiſſimo ac non ignaro, mihi procuravit. Poſtquam e vita migravit Galeſtruzius (ex quo circiter tempore ipſe quoque, ut puto, docere coepi) per Aloyſium Nardium S. Mariae Coenobitam, &

iam

iam Theologiae in ſuo Ordine Magiſtrum renunciatum Graeca lingua, quam & ipſe prius a Salvinio acceperat, in multos alios derivata eſt. Ex eis nominabo Marchionem Antonium Nicolinium inter praecipuos φιλέλληνας in priore narratione iure optimo recenſitum, eiuſque fratrem Ioſephum Equitem ornatiſſimum, qui iampridem ſupremum diem explevit; Marchionem Ioſephum Ridolphium ingenii acumine, & Elegiaci carminis facilitate praeſtantem; Ioſephum Freſcobaldium morte praereptum, qui multa cum laude medicinam iuvenis faciebat; Petrum Camillum Magnalium, qui natus annos ſeptemdecim, Graecas epiſtolas multa cum elegantia expeditiſſime ſcribebat; ſed ipſum quoque adoleſcentiam nondum egreſſum rapuit mors, alioſque permultos, quos ignoro. Iam vero ſupereſt, ut de aliis quatuor Salvinii diſcipulis, qui deinde Graecae linguae Praeceptores fuerunt, dicam. Horum primus (aetate ſiquidem praecedit reliquos) eſt Ioannes Maria Luchinius Plebanus Signenſis, olim in Laurentiano Clericorum Collegio Praeceptor. Ad numerum eorum, quos Graece inſtituit, pertinent Zenobius Pomius Archivii Cancellarius, antiquae eruditionis ſtudioſiſſimus; Ioſephus Venezianus in Laurentiana Baſilica Sacerdos autoratus, in optimorum librorum lectione verſatiſſimus; Coſmas Andreas Guarduccius S. Mariae ad Verzaiam Parochus, vir probus & eruditus; & Ioſephus Biccheraius I. U. D. ſacri Ordinis iuvenis, bonis ſtudiis impenſe deditus.

De

De Luchinio inſuper dicendum, quod e Graeco in vernaculum ſermonem nonnullas SS. Ioannis Chryſoſtomi, & Baſilii Magni Homilias eleganter tranſtulit; cumque mirum in modum Graecanicis ſcriptis delectetur, enixe ad me poſtulavit, ut quae ſingulis annis publice recitanda ſcribo, ſibi ab urbe abſenti exeunte anno mittam, quae ubi avidiſſime legit, cum magno benevolentiae & laudis, ultra quam promerear, teſtimonio ad me remittit. Alter eſt Antonius Cocchius in prima narratione laudatus, quem Graece docentem audierunt tum Senator Iulius Oricellaius, (ut ſupra notatum eſt) tum eius frater Franciſcus Canonicus Florentinus, praeterea Thomas Perellius in Piſano Lyceo Aſtronomiae Profeſſor, Ioannes Targionius in Praefatione memoratus, & Philippus Venutus Abbas Clerarcenſis, auditores plane praecellentiſſimi ingenio, ſtudio, doctrina. Etiam duos alios Venutos Philippi fratres doctiſſimos, Marchionem & Equitem Marcellum Neapolitani Regis Cimerliarcham, & Rodolphinum Canonicum Cortonenſem in hac urbe Graecis literis navaſſe operam puto, ſed quo duce ac praeceptore neſcio. Tertius eſt Ioannes Lamius etiam ipſe in prima recenſione deſcriptus. Eo igitur praeceptore ſtudioſiſſimi adoleſcentes Fauſtus Seraphinius, & Philippus Elmius Graecam linguam non tam delibant, quam hauriunt; adeo ut Elmius abſtruſiſſimas, atque obſcuriſſimas Margunii Epiſtolas praeferente ſibi facem eodem Lamio in Latinum vertere aggreſ-

ſus

ſus ſit. A Lamio item Graece eruditi ſunt duo fratres Roſſii Franciſcus & Nicolaus eximio ingenio ac doctrina, quorum primus agendis in hac urbe cauſſis bona cum nominis fama operam navat; alter Romae degit, Nereo Card. Corſinio Optimi Pontificis ex fratre Nepoti Optimo a ſecretis; & Franciſcus Toſanarius Sacerdos, non ſolum Graecarum, ſed etiam variarum literarum valde ſtudioſus. Quartus eſt Leopoldus Andreas Guadagnius, Legum in Piſano Lyceo Profeſſor longe inclytus, qui epiſtolam de legibus Cenſoriis edidit. Hunc habuerunt in Graeco ſtudio ducem nobilitate & ingenio praeclari Ioſephus Suareſius primum Canon. Flor. deinde Epiſcopus Miniatenſis; Marchio Andreas Borbonius de Monte, cui etiam Angelus Vallius docens adhaeſit; Ioannes Georgius Albertius Can. Theol. Flor. (cuius fratrem Vincentium liceat adnotare fuiſſe a Pamphilo Gentilio Graece inſtitutum) & Eques Ioannes Guidius, qui etiam Salvinium, & me audiit; quare in meis diſcipulis recenſui, maximeque doleo tam candidum, doctum, elegantemque amicum mihi eſſe a ſaeviſſima morte in medio vitae curriculo ablatum. Nihil autem vetat, quin eadem facultas ſtudioſis iuvenibus pro opportunitate loci, & temporis modo ab uno, modo ab altero tradatur. Turpe vero ſit eos, qui ſapientiam pertractant & iunioribus tradunt, alterum alteri invidere, cum omnia eorum conſilia ad ſtudioſorum bonum, & gloriam literarum collimare debeant. Sed iam facile

le colliges, cum multi fuerint, qui Graecae per hoſce annos apud nos docuerint, mirandum non eſſe, ſi Graecae linguae cognitionem in plurimos hodie videmus tranſmiſſam. Cum vero docentes fere omnes, quos recenſui, vel Salviniani diſcipuli ſint, vel Salvinianorum diſcipulorum diſcipuli, meo iudicio Vir ille maximus meretur, ut aereum ei extruatur ſignum cum epigraphe *Antonius Maria Salvinius Publ. Decr. Graeci ſtudii Pater.* Quamvis enim, ut dixi, Graecarum literarum propagatio a Benedicto Averanio incoeperit, eam tamen Salvinius longe uberius promovit. Sic exorſo Graecam hiſtoriam Herodoto ſuccedens Thucydides locupletior, Graecae hiſtoriae Pater communi ſuffragio eſt nuncupatus. Verum iniuſtus plane tibi viſus ero, quod Philippum Bonarrotium Senatorem Florentinum, Regio Iuri cum Sacerdotio conciliando multis annis Praefectum, hactenus non nominaverim. Sed cave, ne me accuſes; illum enim magis honoraturus huius recenſionis coronidem eſſe volui, ut eam praeclaro fine concluderem. Dico igitur hunc etiam Virum, qui omnem prorſus eruditae antiquitatis cognitionem ſuo pectore combibere viſus eſt, in noſtro τῶν φιλελλήνων numero computari. Quamquam enim Graeci ſtudii fundamenta iecit Romae; illud tamen deinde Florentiae proprio marte, quantum homini tot gravibus negotiis occupato licuit, in maius provexit. Atque hic opportunum mihi videtur referre Ioannem Vincentium Capponium Canonicum Florentinum,

non

non ſolum fuiſſe a Bonarrotio ad legenda antiqua Numiſmata eruditum , ſed etiam Graecae linguae rudimentis initiatum ; quod certe ei maximo honori eſt tantum habuiſſe Virum ſtudiorum ſuorum ducem . Iam ſine , ut laetus exclamem ; o ingens , ac nobiliſſimum Graecae linguae ſtudioſorum agmen ! o magnum urbis noſtrae decus ! o gloriam ſingularem ! Quod ſi alicubi in hortationibus ad Graecum ſtudium , quae in hoc volumine leguntur , exiguum numerum apud nos Graecas literas conſectantium conqueri videor , & Tranſalpinorum exemplo noſtros adoleſcentes vellicare ; permiſſa oratori licentia id factum ad eos obiecto probro excitandos . Eodem etiam ſpectat aliud meum conſilium , licet priori videatur adverſari , cum ſcilicet in hac epiſtola complurium iuvenum ingenium , ſedulitatem , ac progreſſum in literis commendavi . Non enim id praeſtiti , ut opinione ſui (qua nihil eſt literis pernicioſius , ac peſtilentius) ſtulte inflentur ; ſed ut hoc laudis teſtimonio veluti praeclaro ſtimulo acuantur ad proſequendum maiore alacritate ſuſceptum ſapientiae curriculum ; in quo etſi aliquantum proceſſerint , animadvertant neceſſe eſt immenſum adhuc remanere ſpatium , quod ſuperent , ſi nominis famam non fuco , ac praeſtigiis , ſed ſolidae veraeque doctrinae merito velint adipiſci . Puto autem aequum non eſſe , ut in crimen vocer , ſi quos forte praetermiſerim , qui cum aliis fuiſſent commemorandi . Nam praeterquamquod immenſum eſſet compel-

lare

lare omnes, omnes mihi aut noti eſſe non poſſunt, aut in mentem venire. Ceterum quod alibi profeſſus ſum, idem denuo hic profiteor, me ſingulari benevolentia erga Graecae linguae ſtudioſos omnes affectum eſſe, paratumque ad ſupplendum quidquid ſine culpa indictum reliquerim, quoties alii rurſus mihi innotuerint, aptamque nactus ero eos recenſendi occaſionem. Sed modum iuſtae epiſtolae me video praetergreſſum; id vero tibi imputandum, qui huc rogatu tuo de uno in alterum delabentem compuleris; nec tamen haec omnia narraſſe me poenitet, ut ſcilicet tot claris exemplis ſegnia quatiantur eorum adoleſcentium ingenia, qui Graecum ſtudium reformidant. Vale docte, & amice Vir; & Virgilii expectatiſſima editione, quam adornas, caracteres Codicis MS. Bibliothecae Mediceae Laurentianae longe vetuſtiſſimi referente, magnam, atque immortalem tibi compara nominis famam.

FINIS PRIMI VOLUMINIS.

Praeter nonnulla pauca menda, quae notavimus pag. 220., alia quaedam ſic corrigenda. *Pag.* XXXIX. *v.* 26. verrit *lege* vertit. *pag.* XL. *v.* 27. collinat -- collimat. *pag.* 195. *v.* 16. πενλήκονλα -- πενλήκοντα. *pag.* 200. *v.* 5. novies, vel decies -- novem, vel decem. *pag.* 209. *v.* 20. ſuper eſſe -- ſupereſſe. *pag.* 229. *v.* 26. officioſum -- officio ſum. *pag.* 256. *v.* 12. contractionem -- contractione. *v.* 17. cognitione -- cognitionem. *pag.* 222. *v.* 7. hyſtoriam -- hiſtoriam. *pag.* 317. *v.* 21. Nazianzeni -- Nyſſeni.

MAG 2017 225

Digitized by Google

Digitized by Google